HORÆ HEBRAICÆ ET TALMUDICÆ

Impensæ in

EPISTOLAM PRIMAM S. PAULI AD CORINTHIOS.

CANTABRIGIÆ,
Excudebat *Joan. Field*, celeberrimæ Academiæ
Typographus, 1664.

TRINITY COLLEGE
LIBRARY
CAMBRIDGE

HONORATISSIMO DOCTISSIMOQ;
viro
Dᵒ GULIELMO MAURITIO
Equiti Aurato, Sacræ Regiæ Majestati à Secretioribus
Scriptis & Consiliis.

CONtinuatus Solœcismus videri meritò potest totum illud quod à me actum est in hoc opere. Nempe cum epistolam tam abstrusam explicare aggressa sit manus tam imperita, cum res tam difficiles tractaret modo tam compendioso, & cum chartulas hasce tam impolitas dicare ausit viro tam perspicaci & erudito: Quarum rerum rationes quas reddam?

Novi equidem inter illa Δυσνόητά τινα quæ habentur in Epistolis Paulinis, 2 Pet. 3. 16. non minutam partem sibi vendicare hanc quam tractamus, primam ad Corinthios: varietate rerum tractatarum nulli secundam, & difficultate styli in iis tractandis, omnium quidem primam. Tremenda certe hæc, at simul allicientia, atque animum cognitionis S. Scripturarum avidum, eo acrius ad studium provocantia, quo ista difficiliora. Ita ut nec arrogantiæ foret nec temeritatis, quod in his obscuris me exercuerim; sed animi studiosi, ad scientiam scripturarū anhelantis, atq; inquieti aliquantum si in locis difficilioribus non haberet ubi pedem figeret. Quid fructûs reportarim, non dico, præter hoc tantum, quod non pœnitet laboris; nam mihi ipsi satisfeci aliquantum; an & aliis idem fecero penes me non est judicare; Non offensurum spero ex hoc ipso, quod si erratur, erratur tantùm circa res historicas [quales sunt pleræque istæ quæ difficultatem hic creant] ubi non impingitur in Analogiam fidei aut doctrinam ecclesiæ:

Quod eruditissimis oculis tuis, rudia hæc mea proponantur primùm, vir clarissime, non ex audacia est sed ex officio, & gratitudine

titudine & obligatione. Novi ſatis, mihil à tenuitate mea cudi aut formari poſſe quod literaturâ ſumma illa qua inſigniter & ſplendidiſſimè fulges, dignum eſſe poſſit. At cum ſumma tua humanitate, quâ æque fulges, res mihi eſt & hiſce chartis. Accedunt illæ illam veneraturæ, eique gratias quàm poſſum maximas acturæ, ob favorem, ſubſidium, patrocinium, illud quo me ſublevare & ſolari dignata eſt, cum adverſis premerer & res meæ forent in anguſtia. Succurriſti vir celeberrime & manum auxiliatricem exporrexiſti ignotus etiam, etiam ignoto idque ſponte tua & non rogatus, idque cum omni ſedulitate cura & affectu: Oh quanta debeo humanitati iſti, & quid reddam? Votivum monumentum eſto hoc quale quale literarium: Inſcripto magno nomine tuo, ſine ut vivat & glorietur: & teſtetur univerſis debitam obſervantiam, officium, & gratitudinem

Vir Honoratiſſime

Ex aula S. Catharinæ Cantab. Clientis tui humillimi

Veſperiis Comitiorum devinctiſſimique

Jul. 4. 1664. Joh. Lightfoot.

De

DE IPSA
CORINTHO.

Sita erat *Corinthus* in Iſthmo quinque millium ſpatio *Ægeum* mare ab *Ionio* ſubmovente, anguſto tramite *Helladi Peloponneſon* annectente, *Pom. Mela.* lib. 2. cap. 3.

Solin. cap. 13. In Iſthmo *Delubrum Neptuni*, & ludi quinquennales Iſthmiaci, ea propter ut fertur inſtituti, quod ſinibus quinque *Peloponneſi* oræ abluuntur. Hoc ſpectaculum per *Cypſelum* tyrannum intermiſſum *Corinthii* Olympiade quadrageſima nona ſolennitati priſtinæ reddiderunt.

Plin. lib. 4. cap. 4. *Strab.* lib. 8. Anguſtiarum Iſthmi termini, hinc *Lechæa*, *Cenchræa* illinc. *Cenhræarum* portus, ad negotiationes Aſianas, *Lechæus* ad Italicas. *Cenchræarum* portus diſtabat ab urbe ad Lxx ſtadia. *Lechæus* jacet ſub urbe.

Anguſtias perfodere navigabili alveo tentavere *Demetrius* rex, Dictator *Cæſar. C. Princeps*, & *Domitius Nero* infauſto exitu.

Mela ubi ante. *Corinthus* ex ſumma arce quam *Acrocorinthon* appellant maria utraque contuetur [*Euſeb. in chron.*] Urbs iſta, olim *Ephyra* dicta, condita eſt a *Siſypho*, eo tempore quo *Othniel* dux judexque foret Hebræorum [*Diod. Sicul.* lib. 19.] Inde arx *Siſyphium* Corinthi, de nomine conditoris.

Euſeb. ubi ante. A deſcenſu *Heraclidarum* in *Peloponneſum* erat civitas ſub regibus longa ſerie, exinde ſub principibus annuis, [*Herodot.* lib. 5. cap. 42.] tandem ſub *Cypſelo* tyrannidem occupante, & poſt eum ſub *Periandro* ejus filio, & longo temporis interſtitio, [*Strabo* ubi ante.] ſub *Philippo*, quorum conatus adiuverunt *Corinthii*, Romanoſque pro eo ita deſpexerunt, ut quidam in legatos eorum domum ſuam præteruntes auſi ſint cœnum defundere: Pro quo peccato, aliiſque flagitiis,

flagitiis, missō â Romanis exercitu *Corinthus* est à L. *Mummio* eversa.

Dion Cass. lib. 43. Ea cum diu deserta jacuisset, instaurata est à *Jul. Cæsare*, qui & *Carthaginem* eodem tempore instauravit: & in utrasque, urbes olim splendidas & illustres, colonias Romanorum deduxit, præsertim *Libertinorum*.

Strabo ubi ante. Illi cum rudera amoliri cœpissent, simulq; sepulchra effodissent, testácea opera plurima, atque etiam ærea multa invenerunt, quorum admirati artificium, nullum sepulchrum non effoderunt, magnaque id genus rerum copia potiti, iisque magno divenditis, Romam impleverunt *Necrocorinthiis*, sic enim appellabant quæ sepulchris erant ablata opera, maximè testacea. Et cum urbem vastaret *Mummius* inventæ sunt tabulæ pictæ admirandi artificii & Romam allatæ. Maximè enim *Corinthi* & *Sicyone*, pingendi ac fingendi aliæque id genus artes sunt auctæ.

Situs urbis jam instauratæ talis. Mons celsus cujus perpendiculum III stadiorum & dimidii. Ascensus est xxx stad: In verticem desinit acutum. Monti nomen *Acrocorinthus*. Ad ipsam radicem *Acrocorinthi* urbs jacet. Circulus urbis vel XL. stadia æquabat, muroque fuit munita urbs, quantum ejus mons denudaverat: mœnibus ipsa etiam includebatur *Acrocorinthus* quà muro muniri poterat: Et nobis ascendentibus [*Strabonis* sunt verba] rudera apparebant antiquæ urbis, ita ut universus ambitus fuerit ad Lxxxv stadia.

In summo mons vertice fanum habuit *Veneris*, fanum adeo locuples ὥστε πλείους ἢ χιλίας ἱεροδούλους ἐκέκτητο ἑταίρας, ut plures quam mille habuerit sacrorum famulas meretrices, quas Deæ viri mulieresque dedicarunt.

Herodot. lib. 5. cap. 92. Fuerat olim in urbe veteri fanum *Junonis*: quo congregatas omnes fœminas Corinthiacas, *Periander* tyrannus per satellites detractis vestibus sine discrimina-

tione

tione denudavit, veſteſque earum in foveam quandam comportatas, *Meliſſæ* uxori ſuæ defunctæ [cum qua defuncta ipſe coierat] concremavit.

Hiſtoria de prima fundatione Eccleſiæ Evangelicæ in hac urbe, *Act.* 18. planum facit plurimos illic fuiſſe Judæos, & unam ſaltem eorum Synagogam, ſi non plures.

Errata *ſic corrige.*

PAg 7. *lin.* 6. *lege* מנהיניו p. 9. *l.* 6. *lege* Poſt dies Meſſiæ. *l.* 12. רבן p. 11. *l.* 4. ſtraminez· p. 14. *l.* 1. Iſſure. *l.* 29. Chalda. p. 15. *l.* 14. היא p. 17. *l.* 13. העיזו p. 18. *l.* 31. quibus nulla. p. 20. *l.* 1. Rabbenu. & *l.* 14. p. 21. *l.* 26. זה רין p. 22. *l.* 3. Middoth. p. 24. *l.* 1. terroribus. *l.* 26. אסותא p. 31. *l.* 26. pro non, *lege* neu. p. 35. *l.* 20. poterant. p. 55. *l.* 25. Middoth p. 56 *l.* 4. Tamid. p. 58. *l.* 9. Sotath. p. 59. *l.* 15. unius diei ſpacio interficiente. p. 66. *l.* 3. capilli. p. 73. *l.* 24. מצות p. 89. cum ab exemplari meo manuſcripto aberraverit typothetes & dona ſpiritus ſancti nominata non exacte ex parallelo diſpoſuerit, orandus eſt lector ut oculo ſuo lapſum emendet. p. 90. *l.* 9. Prophetiam p. 91. *l.* 9. illum p. 101. *l.* 16. in hacce Phraſiologia *l.* 32. ædificavit p. 107. *l.* 8. Atque *l.* 13. redibunt. p. 111. *l.* 19. Et vere p. 112. *l.* 23. prætereundum p. 124. *l.* 9. poteras *l.* 12. Demai.

Horæ Hebraicæ & Talmudicæ

IMPENSÆ IN EPISTOLAM PRIMAM S. PAULI ad CORINTHIOS.

CAPUT I.

Ver. 1. Παῦλος.

QUi & *Saulus*. Duplex ei nomen pro duplici ejus relatione. Hebræum *Saulus*, ut Hebræo. Romanum *Paulus*, ut Romano.

Vulgare erat in gente Judaicâ, ut inter *Judæos* nomine Judaico nuncuparentur, aſt inter *Ethnicos*, alio.

Vel ſcilicet eodem in linguam Ethnicam verſo: ut *Tabitha* Judæis, erat Græciſſantibus *Dorcas*. Et *Thomas* Hebræis, erat Græcis *Didymus*: & fortè, *Silas* Judæis, erat Romanis *Tertius* Rom. xvi. 21. à שרוש & *Jaſon Secundus* confer Rom. xvi. 21. cum Act. xix. 4.

Vel nomine aliquo diverſo. Ut *Herodes* Lucæ, Act. xii. 1. eſt Joſepho *Agrippa*. Et *Johannes*, eſt etiam *Marcus*, Act. xii. 12.

Hinc Gloſs: in *Maimon. in Ceruſhin* cap. 3. *Duo forte ſunt ei nomina, Judaicum ſcilicet, atque illud quo eum appellant* הערלים. *Ii qui non ſunt Judæi.*

Atque illud *Hieroſ. Gittin.* fol. 43. 2. *Iſraelitæ extra terram Iſraeliticam nomina habent ſicut nomina Gentilium.*

Imo audi quid dicant in eodem tractatu, fol. 45. 3. de Judæis etiam in terrâ Iſraeliticâ degentibus. *Forte duæ ſunt ei uxores, una in Judæa, altera in Galilæa. Et forte duo ſunt ei nomina, unum in Judæa, alterum in Galilæa: Si nomen ſuum quo in Judæa vocatur, ſubſcribat, ut eam dimittat quæ eſt in Galilæa, vel nomen quo in Galilæa vocatur, ut eam dimittat quæ eſt in Judæa, divortium non eſt.*

Non mirum ergo, ſi *Saulus* extra terram *Iſraeliticam* natus, & donatus civitate *Romanâ*, nomen *Romanum* haberet conjunctum cum nomine ſuo *Judaico*: Atque obſervationem meretur, eum jam Apoſtolum Gentilium factum, Gentili nomine ſuo ſe nuncupare ſemper, *Judaico* nunquam. *Lucámque* ejus acta proſequentem, *Saulum* eum vocare dum inter *Judæos* eſt ſcena hiſtoriæ, at *Paulum*, dum inter *Ethnicos*.

Ver. 2. Ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ,

Opponi videtur τοῖς Ἡγιασμένοις ἐν νόμῳ. Aut reſpicere legem iſtam, *Deut.* xxiii. 1, 2, &c. de excluſione quamplurimorum ab Eccleſia Dei: quod non ita fit ſub *Chriſto*.

Κλητοῖς ἁγίοις.

Linguâ Ἑλλ. Interpretum קרא קדש ita redditur, *Levit.* xxiii. 2. Αἱ ἑορταὶ κυρίου αἷς καλέσετε αὐτὰς κλητὰς ἁγίας. ver. 3. Ἑβδόμη ἀνάπαυσις κλητὴ ἁγία πᾶν ἔργον οὐ ποιήσετε, vid & ver. 4, 7, 8, &c.

Ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ generale eſt, quod ſubdividitur in κλητοῖς ἁγίοις *vere ſanctos*, & ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα Κυρίου, profeſſione ſanctos.

Ver. 5. Ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει.

Id eſt, *Donis linguarum & Prophetandi.* Hæc, commate ſequenti, vocat Μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ. Teſtimonium ſcilicet, quo aſtruitur *Jeſum* eſſe verum *Meſſiam*, cum talia dona fuerit largitus.

largitus. Sic Apocal. xix. 10. *Testimonium Jesu est Spiritus Prophetiæ*: Non solùm doctrina quam edit Prophetia, sed ipsum donum Prophetandi. Et 1 *Johan.* v. 8. *Spiritus & aqua & sanguis*, testimonium de *Christo* perhibent in terra. *Spiritus* vel donum Prophetiæ, *Aqua* vel Baptismus, & *Sanguis*, vel martyrium: Nam cum ita affluerent dona extraordinaria spiritus, confluerentque tam infinitæ turbæ ad Baptismum in nomine *Jesu*, plurimique pro isto nomine subirent martyrium, indubitatum testimonium est, eum verum esse *Messiam*.

Ver. 12. Ἐγὼ μὲν εἰμι Παύλου, &c.

Ad originem hujus schismatis investigandum, recurri potest ad bipartitionem hujus ecclesiæ, in *Judæos* conversos, & *Gentiles*, quæ patet ex ejus historia *Act.* xviii. Pars Gentilitia fortè *Pauli* nomen efferebat, & *Apollo*: Judaica *Cephæ* & *Christi*. Utraque iterum bipartita. Quidam de parte Gentilitia *Paulum* aut solum, aut certe præ omnibus aliis sunt reveriti, ut patrem, Apostolum, primum qui inter eos introduxit Evangelium, utcunque planè, humili stylo, & non secundum sapientiam ac artem humanam prædicantem. Quidam autem *Apollo* ei prætulerunt, ut doctorem profundiorem, elegantiorem, & magis comptum. Vid. *Act.* xviii. 24. Hinc copiosa ista dissertatio Apostoli de ipsissimo hoc concionandi modo à *cap.* i. 17. ad *cap.* iv. 6. ubi dicit se ista, figura quadam transtulisse ad seipsum & *Apollo*.

Ἐγὼ δὲ Κηφᾶ.

Non disputabimus hîc, an *Petrus* unquam fuerit *Corinthi*. Nam etiam ii ipsi qui eum aliquando ibi fuisse asserunt, negant tamen eum ibi unquam fuisse ante enatum hoc schisma. Unde ergo secta ejus nomine? Probabiliorem rationem vix adduxeris, quam quod ministrum eum circumcisionis amplecterentur

hi exiſtentes de circumciſione, potius quam miniſtrum præputii. Exemplum ſumamus ab ipſo *Marco*, *Petri* filio, aut Diſcipulo, 1 *Pet.* v. 13. Ille comes *Paulo* & *Barnabæ* electus, in peregrinatione ſua inter Gentes, confeſtim ab iis receſſit, & rediit *Hieroſolymas*, *Act.* xiii. 13. Et quare tandem? Ego hanc cauſam adduxerim, quam corrige ſi diſplicet, nempe quod ille lateri miniſtri circumciſionis *Petri* olim adhærens, non probaret quæ agerent miniſtri hi præputii inter Gentiles: at melius edoctus tandem, rediit ad *Paulum*. Sic & hi *Corinthii*, & Judæi quidem omnes, ubique converſi, nimium quidem ubique adhuc Judaizantes, quam promptiùs nomina ſua celeberrimo iſti miniſtro circumciſionis dederent, quam miniſtro aut miniſtris præputii? At quare non *Jacobo* aut *Johanni* qui æquè erant miniſtri Circumciſionis? 1 *Petrus* erat Apoſtolus Circumciſionis *extra terram* Iſraeliticam, *Jacobus* autem *intra*, aptiuſque videbatur Judæis hiſce Corinthiacis, extra terram Iſraeliticam poſitis anteſignanum Apoſtolum extra terram ſibi eligere, quam illum qui intra? Aſt inquies, *Johannes* etiam erat Apoſtolus circumciſionis extra terram iſtam, æque ac *Petrus*, propiorque ille *Corintho*, in *Aſia* verſatus, quam *Petrus* qui in *Chaldea*. Verè quidem, at 2 *Petrus*, miniſter erat inter circumciſionem puriſſimi nominis, *Hebræos* ſcil. cum *Johannes* foret inter *Helleniſtas*: imo inter Hebræos puriſſimi ſanguinis, *Babylonicos* ſcilicet, imo inter Circumciſionem latiſſimi ſenſus, inter *decem tribus* ſcilicet, æquè ac inter Judæos. Quibus adde 3 quod *Petrus* duobus aliis Apoſtolis Circumciſionis, in hoc præemineret, quod illi ſoli commiſſæ fuerint *claves regni cælorum*, id eſt, quod ille oſtium primus aperuerit, Evangeliumque introduxerit inter Gentiles. Hiſce omnibus obſervationibus ſimul accumulatis, non mirum eſt ſi Judæi hi *Corinthiaci*, in aliis plurimis Judaizantes, ut patet ex hac epiſtola, cùm ſe vellent ſub aliquo Apoſtolo conſcribere, non mirum eſt inquam, ſi ſe ſub *Petro* conſcriberent Apoſtolo Circumciſionis potius

potius quam ſub *Paulo* miniſtro Gentilium: ſub *Petro* Apoſtolo extra-terraneo quam *Jacobo* qui non: ſub *Petro* Apoſtolo Hebræorum puriſſimorum & Circumciſionis pleniſſimo nomine quam ſub *Johanne* Apoſtolo *Helleniſtarum*. Imo non mirum, ſi Gentiles chriſtiani vel Corinthiaci, vel alibi locorum, cum ſe vellent ſub aliquo peculiari Apoſtolo conſcribere, non mirum eſt, inquam, ſi *Petrum* potius reſpicerent qui primus Evangelium introduxit inter Gentiles, quam quemvis alium qui Evangelium in hunc aut illum locum peculiarem introduxit. Sic orta videtur ſententia iſta de *Primatu Petri*. Apud Judæo-chriſtianos, ob peculiare diſcrimen miniſterii ejus inter Circumciſionem, apud Gentili-chriſtianos, ob introductionem ſuam Evangelii inter Gentiles.

Ἐγὼ δὲ Χριστοῦ.

Si qui forent inter Corinthios qui baptiſmo *Johannis* ſolum baptizati eſſent prout erant inter *Epheſios*, *Act.* xix. 4. non mirum ſi dicerent illi, Ἐγὼ τοῦ Χριστοῦ *Ego ſum Meſsiæ*, non noſcentes adhuc *Jeſum Nazarenum*, illum eſſe: At detur, omnes melius edoctos à *Paulo* aut *Apollo*, cum tamen adhuc ad Judaiſmum plurimi inclinarent, ſuſpicari licet, eos dicere *Ego ſum Chriſti*, vel *Meſsiæ*, eo ſenſu quo olim eruditi ſumus de *Meſsia*, unumquemque ſcilicet ſub eo unico duce conſcribendum & ſubjiciendum, non ſub aliquo ab eo deputato, vel vices gerente,

Ver. 14. Κρίσπον.

Nomen *Criſpus* etiam Talmudicis eſt in uſu.

Hieroſ. Jevamoth. fol. 2. 3. *Dicit R. Aibubar,* נגרי קריספי *Nigri Criſpi.*

Ibid. fol. 12. 2. אמר ר' קריספי. *Dicit R. Cryſpus.*

Γάϊον

Γάϊον.

Si *Gaius*, vel *Caius* iſte, ad quem ſcripta eſt Epiſtola tertia *Johannis* fuerit *Gaius Corinthiacus*, quod maxime probabile, collato *Rom.* xvi. 13. cum commate ſeptimo iſtius epiſtolæ, tum videtur *Johannes* epiſtolam ſuam primam ſcripſiſſe ad *Corinthios*. *Scripſi* inquit, *eccleſiæ*. Cuinam? Eccleſiæ certe alicui particulari, & ubi reſedit ipſe *Gaius*. Quænam autem epiſtola iſta quam ſcripſit? Primam inter ſuas, quis non æquius dixerit quam periiſſe iſtam quam ſcripſit? Et hæc ſi vera, *Diotrephem* requiras in eccleſia *Corinthiaca* primipilarem in ſchiſmate. Sed hæc ſub ferulâ.

Ver. 17. οὐ γὰρ ἀπέστειλέ με Χριστὸς βαπτίζειν.

Non conſtitutus eſt *Paulus* Baptiſta inter Gentiles, ſicut *Johannes Baptiſta* inter Judæos, nec par quidem erat hujus & illius munus. Judæi etiam ab incunabulis inſtructi erant in doctrina de *Meſsia*, & in articulis religionis, ita ut non multum operæ impendere *Johanni* opus eſſet, ut eos ad baptiſmum in nomine *Meſsiæ* jam adventantis, & Evangelicæ fidei receptionem præpararet. At quantum *Paulo* inſumendum inter Gentiles, qui ne quidem unquam, vel de Chriſto vel de vero Deo inaudierant! Concionatur ergo ille aſſiduè & guttatim quaſi inſtillat iis doctrinam religionis, & non exigui laboris eſt eos ad menſuram cognitionis baptizabilem, ut ita dicere liceat, peditentim ducere *Gaium*, *Criſpum*, *Stephanam*, Judæos ipſe baptizat, qui confeſtim & labore parvo in doctrina Evangelica erudiebantur, aſt alios qui tardiùs ad ejus cognitionem matureſcebant, aliis miniſtris committit baptizandos, cum eos comperirent jam idoneos.

Ver.

VER. 20. Πῦ σοφός; πῦ γραμματεύς; ποῦ συζητητής;

Beriſh. rabba ſect. 24. *Deus oſtendit Adamo.*

: דור דור ודורשין *unamquamque generationem,* καὶ συζητητὰς αὐτῆς.

: דור דור וחכמין *unamquamque generationem,* καὶ σοφὸς αὐτῆς.

: דור דור וסופרין *unamquamque generationem,* καὶ γραμματεῖς αὐτῆς.

: דור דור וטנהיגין *unamquamque generationem,* καὶ ἡγεμόνας αὐτῆς

Recitantur hæc aliqua cum variatione in *Avodah Zarah,* fol. 5. 1.

Σοφός: חכם qui docuit alios.

Γραμματεὺς סופר quivis literatus ut diſtinctus à plebe: ac præcipuè quivis pater traditionum.

Συζητητής: דרש vel דרשן qui profundius eſt concionatus atque interpretatus legem.

VER. 21. Ἐν σοφίᾳ τοῦ θεοῦ οὐκ ἔγνω ὁ κόσμος, διὰ τῆς σοφίας τὸν θεόν.

Id eſt: Mundus in Theologiâ ſuâ, non potuit per ſapientiam ſuam ſcire Deum.

Σοφία τοῦ θεοῦ hic non intelligenda eſt ſapientia iſta quæ Deum habuit authorem, ſed quæ Deum habuit objectum: reddendaque eſt *Sapientia circa Deum.* Erat apud Ethnicos Σοφία τῆς φύσεως, *Sapientia* circa res naturales, Et Σοφία τοῦ θεοῦ *Sapientia circa Deum,* id eſt Theologia. *At mundus in ſuâ Theologiâ non potuit per ſapientiam ſcire Deum.*

CHAP.

CAP. II.

VER. 6. Σοφίαν δὲ λαλοῦμεν τελείοις, τὴν σοφίαν δὲ οὐ τοῦ αἰῶνος τούτου.

QUadruplicem ſapientiam memorat Apoſtolus.

1. *Ethnicam* vel Philoſophorum *cap.* 1. 22. quæ vulgo חכמה יונית *Sapientia Græca* audiit apud Judæos: quæque adeò apud eos viluit, ut hæc duo ſub eâdem maledictione conſociarent. *Maledictus ſit ille, qui alit porcos, & maledictus ſit ille qui filium ſuum docet Sapientiam Græcam. Bavakama*, fol. 82. 2.

2. *Sapientiam Judaicam: ſcribarum & Phariſæorum, qui crucifixerunt Chriſtum*, ver. 8.

3. *Sapientiam Evangelicam*, ver. 7.

4 *Sapientiam* τοῦ αἰῶνος τούτου, diſtinctam, ut videtur à reliquis ubi τοῦ αἰῶνος τούτου eo ſenſu accipienda eſt quo העולם הזה ut opponitur לעולם הבא: Et loquitur de ſapientia ultima, & ſuprema, quam aſſequi quis potuit ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ ante revelatum Evangelium in adventu Chriſti, qui erat Ὁ αἰὼν ὁ μέλλων. Et hoc eſt quod agit Apoſtolus, nempe ut oſtendat ſummam imo ſaniſſimam ſapientiam ſæculorum antecedentium non conferendam ullo modo eſſe cum ſplendore ſapientiæ Evangelicæ.

VER. 9. Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, &c.

Bab. Sanhedr. fol. 99. 1. *Dicit R. Chaiia bar Abba, Dicit R. Jochanan omnes Prophetæ non prophetarunt niſi de diebus Meſsiæ* אבל לעולם הבא *At quod ad mundum futurum, Oculus non vidit O Deus præter te*, &c.

Recitantur hæc in *Shabb.* fol. 63. 1. ſub alia occaſione. Ubi Gloſs. *Oculi Propetarum non potuerunt hæc videre.*

Vides hic diſtingui à *Rabbino* inter *Dies Meſsiæ* & *mundum futurum*,

futurum, quod & aliquando fit ab aliis: at vulgatiſſimè etiam confunduntur. Videſque qua ratione, imo qua neceſſitate, adactus fuerit ad hanc diſtinctionem: nempe quod quædam ſuppoſuerit repoſita expectantibus Deum, quæ nunquam viderunt oculi Prophetarum. At viderunt inquit, Prophetæ bona dierum *Meſsiæ*: ergo repoſita iſta ſunt in mundum futurum dies *Meſsiæ*. Diſce à Paulo, O Rabbine, clariorem longè eſſe revelationem ſub Evangelio, quàm aſſequuti ſunt Prophetæ.

CAP. III.

VER. 1. Ὡς νηπίοις.

HEbræis תינוקות Hinc vulgatiſſimum illud תינוקות של בית רבן *Pueruli in ſchola.*

Chetub. fol. 50. 1. *Rabb. dixit* רבי *Rabb. Samuel bar Shillath* [ludimagiſtro] *Puerulum ſexennem recipe, eique cibum præbe ſicut bovi*, Gloſs: *Ciba eum lege ſicut bovem cibas quem ſaginas.* יהא אדם מתנהג עם בנו ער י"ב שנה *Placide agat homo cum filio ſuo ad annum ejus duodecimum.* Gloſs: *Si diſcere renuat, placide cum eo agat & verbis mollibus*, &c.

VER. 12. Ξύλα, χόρτον, καλάμην.

Apoſtolum de doctrinis agere planum eſt ex contextu.

1. Supponit hos ædificatores quamvis non adeo bene ædificantes, animo tamen non malo, ſeipſos iſti operi addixiſſe: *ver.* 15. *Ipſe Salvabitur.*

2. Per varias harum rerum ſpecies, aurum, argentum, lignum, fœnum, ſtipulam, non varium tantùm docendi modum intelligas, ſed varias ipſas doctrinarum ſpecies. Nam ſi omnes eandem veritatem doctrinamque propoſuiſſent, minus fuiſſet ſi omnes eam non eodem modo enuntiaſſent. At dum alii *au-*

rum argentum lignum doctrinam pretiosam puram solidam proferunt, alii *fœnum stipulam*, vilem leviorem & nullius pretii aut soliditatis, ipsæ doctrinæ erant diversæ, & erant quæ examen ignis pati possent, & quæ non.

3. Erant qui micas Judaismi inter populum spargerent: At hoc non ut ex professo dimicantes contra Evangelium, sed ex ignorantia, & quòd simplicitatem Evangelicam non adhuc satis intelligerent. Has atque hujusmodi doctrinas *fœnum & stipulam* vocat *Paulus*, igne absumendas: at dum illi interea qui talia docuissent, evadere possent, quia non ex malitia veritatem oppugnârant, sed ex ignorantia propinârant falsitatem.

VER. 13. Ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται

Duo cujusque opus sunt retectura, *Dies* & *Ignis*: quæ utraque non male intelligas de verbo Dei omnia manifestante, & probante. *Nam* lux Evangelica frequentissime vocatur *Dies*, & lex divina *Ignis*, *Deut.* xxxiii. 2.

At mallem ego hic loci per *Diem* & *Ignem* intelligere *Diem Domini*, brevi venturum, atque *Ignem* divinæ indignationis effundendum in gentem Judaicam. Atque ad hæc eo magis sum adductus quòd de die & igne isto adeo frequens occurrat commemoratio in paginis sacris.

Cum ergo forent, qui Judaismum superstruerent super fundamentum Evangelicum, idque ex imperitia & ignorantia simplicitatis Evangelii [nam de talibus loquitur hic Apostolus] prædicit & comminatur, appropinquare diem Ignemq; Domini in Judæos, à quo non revelanda solũ erat istius superstructionis ineptia, & inconsistentia, sed & ea ipsa superstructio peritura.

Hoc sensu loci recepto, plana fiunt omnia quæ loquitur Apostolus in hac periocha. Ignis iste probabit doctrinas, Evangelicæne sint annon: Si cujus opus aut doctrina examen ignis istius feret, mercedem ille accipiet de sana doctrina: Si cujusvis doctrina

doctrina non feret, ſed abſumatur detrimentum ille patietur de oleo & opera perditis, ipſe vero ſalvabitur, aſt hoc ut probatus per ignem.

Vis parallelum doctrinæ atque ædificationis ſtramienæ, de qua *Paulus?*

Bab. Bathr. fol. 60. 2. *Tradunt Rabbini* לא יסד אדם אדם בסיד *Ne oblinat quiſquam domum ſuam calce* ואם ערב בו חול או תבן מותר *At ſi cum calce commiſceat arenam & ſtramen, permiſſum eſt.*

Traditio tempora reſpicit poſt exciſum templum, cum præ luctu ob fatale iſtud excidium, non permiſſum eſt parietes dealbari, ſed nigrore ſqualleré, ut colore lugentibus convenienti Simplici ergo calce non permiſſum eſt parietes dealbare, ne coruſcarent nimium, at ſi intermixta forent arena & ſtramen, quibus albedo calcis obfuſaaretur, tunc permittitur. O doctrinam vere ſtramineam, de ſuperſtructione ſtraminea, & quæ aptiſſimam exhibet imaginem doctrinarum iſtarum Judaicarum de quibus Apoſtolus, ſplendorem Evangelii obnubilantium.

CAP. IV.

VER. 6. Μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλῶ.

ET quare non ad ſeipſum & *Cepham?* Ex hoc ipſo loco, ſi non aliunde probari poſſet, patet *Petrum* non docuiſſe *Corinthi.* Agit ex inſtituto Apoſtolus, de præcipuis ipſorum miniſtris, & excedit fidem, voluiſſe eum præterire *Petrum*, ſi *Petrus* apud eos fuiſſet concionatus.

Cum ait ſe in *figura hæc tranſtuliſſe ad ſeipſum & Apollo*, nominum & perſonarum mutationem non intelligit, nec aliorum nomina in perſonam ſuam & *Apollo* transfert, ne quemquam nominatim carpat [qui ſenſus huic loco vulgo affigitur] ſed

figuratio quâ utitur hæc eſt. Nempe dum de prædicatione Evangelii loquitur plana, rudi, & à ſapientia humana quàm remotâ, & è contra, de eleganti, exculta & profundiori, hæc ego inquit, hoc in ſchemate, ad meipſum tranſtuli & *Apollo*, priorem concionandi modum ad meipſum, poſteriorem ad *Apollo*.

VER. 8. Ἤδη κεκορεσμένοι ἐστε, &c.

Acris ſarcaſmus: Jactantiam *Corinthiorum* caſtigans, qui obliti fuerant à quibus privilegia iſta Evangelica, de quibus jam ſuperbierunt primùm acceperant. Ditati erant donis ſpiritualibus, regnarunt, ipſis judicibus, in culmine uſque dignitatis, ac fœlicitatis Evangelicæ, idque *abſque nobis* inquit Apoſtolus, ac ſi nihil ob iſta privilegia nobis deberetis: Atqui *ô utinam regnaretis*, atque adeo fœliciter ac bene vobis foret reverâ ut & nos vobiſcum regnaremus, aliquamque felicitatem in promotione hac veſtra, aliquamque apud vos æſtimationem ſortiremur.

CAP. V.

VER. 1. Ὥστε γυναῖκα πατρός τινα ἔχειν.

NOn mátrem ſuam ſed uxorem patris ſui, qui & adhuc erat in vivis, ut videtur ex epiſtola ad hos *Corinthios* ſecunda *cap. 7. 12. Scripſi vobis, non ejus reſpectu qui injuriâ affecerat, nec ejus reſpectu qui injuriâ affectus erat.* Is qui injuria affecerat, planè erat hic inceſtuoſus, nam de cauſa iſta loqui illic Apoſtolum vix negabitur. Et quiſnam ille qui injuriâ affectus? Pater abſque dubio: vivus jam certe & non defunctus, nam vix de eo mortuo diceretur quod injuriâ hoc facinore eſt affectus.

VER.

VER. 2. Καὶ ὑμεῖς πεφυσιωμένοι ἐστε.

Mirum quidem eſt, quod non luxerint, at quod de tali ſcelere inflati forent, & gloriarentur ut *ver.* 6. eſt monſtrum. Aſt undenam tam ſtultus, & nefandus tumor?

I. Forſan ex ſtudio partium, atque acrimonia contentionum, exultante parte adversâ, in iſtam in quâ tam gravis lapſus contigerat.

II. Forſan ex malè concepta libertate Evangelii, de hac re triumpharunt, ac ſi Evangelium contra legem, talem licentiam introduxiſſet.

III. Aut videri poteſt, Patrem inceſtuoſi, non fuiſſe Chriſtianum ſed aut Ethnicum aut infidelem Judæum. Matrem autem fuiſſe ad Chriſtianiſmum converſam, ſic & ipſum filium. Atque hinc receſſionem uxoris à marito infideli, & conjugium cum filio credente. Inde *Corinthiorum* gloriatio: Non ob hoc merè, quod filius novercam duxiſſet, nam illud opinari foret ridiculum, ſed quòd ita prævaluerat Evangelium ut vel uxorem à marito infideli ſegregaret.

οὐχὶ μᾶλλον ἐπενθήσατε ἵνα ἐξαρθῇ.

Veſtrum erat ô *Corinthii*, precibus & jejuniis Deum oraſſe, ut is è medio veſtri hominem adeo ſceleſtum tolleret, ſi modo ille non reſipiſceret; *at vos eſtis inflati*, &c. πενθεῖν hoc in loco videtur ad ſenſum תעניה extendere, apud Hebræos.

Sanhedr. cap. 7. hal. 4. *Iſti ſunt lapidandi.* הבא על אמו *Is qui coit cum matre ſuâ vel cum uxore patriſſui.* ועל אשת האב *Qui coit cum matre reus eſt* [dupliciter] *& quia mater ejus eſt, & quia uxor patris. Qui coit cum uxore patris ſui reus eſt* [dupliciter] *& quia uxor patris eſt, & quia uxor alterius; In vivis ſitne ejus pater, an defunctus. Et ſitne ea uxor patris ex deſponſatione*

ſatione, an ex maritatione, vid. etiam *Maimon. in Iſſuro Biah*, cap. 1 & 2.

In *Cherithuth. cap.* 1. *hal.* 1. adjudicatur hoc ipſum peccatum exciſioni. לו כריתות תורה *Triginta ſex ſunt exciſiones, in lege* [vel triginta ſex qui excidendi] הבא על האם ועל אשת אב *Is qui coit cum matre ſua aut cum uxore patris ſui*, &c.

Mirum videri certe poſſit, unum idemque facinus, ad *lapidationem* adjudicari, quæ per *Synedrium* infligebatur, & ad *exciſionem* quæ per *manum Dei*. Aſt audi gloſſatorem. *Omnes iſtæ exciſiones* inquit *ſunt de præſumptuosè factis* בלא התראה *Ubi non erat prævia admonitio*, aut proteſtario: *at vero ſi fuerit prævia admonitio, quædam ex iis ad ſtrangulationem adjudicantur, quædam ad lapidationem. At ſi ex ignorantia hæc perpetrentur, ſacrificium pro peccato requiritur.*

Exciſio [כרת] erat per manum immediatam Dei, quam exciſionem meruerat hic nefarius ſummo gradu: nam facinus hoc ab eo perpetratum fuiſſe ex ignorantia, ridiculum foret imaginari.

VER. 5. Παραδοῦναι τῷ Σατανᾷ.

§ *De excommunicatione apud Judæos pauca. An excommunicare & tradere Satanæ illis fuerint idem.*

De excommunicatione apud Judæos dicturo, pauca primum dicenda ſunt de נזיפה *correptione* quæ Babylonicis eadem erat cum excommunicatione.

Bab. Meed Katon. fol. 16. 1. אין נזיפה פחות מז' ימים *Correptio non eſt minus quam in ſeptiduum: Sicut dicitur ſi pater ejus in faciem ejus conſputaverit, nonne pudefiet ſeptem diebus?* [Num. 12. 14.] *Rabb. Chaſta dicit* נזיפה שלנו שלהן *Excommunicatio noſtra* [in Babylonia] *eſt ſicut correptio eorum* [in terra Iſraelitica.]

Exempla

Exempla hæc ibi adducuntur.

R. Simeon filius Rabbi [Judæ] *& Bar Kaphra ſederunt legentes, cumque difficilis nimis eſſet locus quem legerunt, dixit R.* Simeon *Bar Kaphra, opus hic eſt Rabbi interprete. Cui Bar Kaphra. Et quidnam dicere hac in re poteſt Rabbi? Abiit R.* Simeon *& patri ſuo hoc dixit, qui ideo ſuccenſuit. Venit Bar Kaphra eum viſitatum. Dixit ei ô Bar Kaphra ego te non novi. Novit ille quid ſibi is vellet* נזיפתא *ſubiit ergo correptionem triginta diebus.*

Et rurſus. *Præcepit aliquando Rabbi, ne Magiſtri Diſcipulos ſuos doceant in plateis: verba iſta myſticè huc applicans, Ambitus femorum tuorum ſunt ſicut monilia* [Cant. 7. 1.] *Prout femur eſt in abſcondito, ſic verba legis in abſcondito. Prodiit R. Chaiia* [רחייא] *& duos filios fratris ſui docuit in platea Rabbi ſcilicet, & Barbar channah. Audiit hoc Rabbi & ſuccenſuit. Venit R. Chaiia eum viſitatum Dicit ei* עייא *ô Aiia, Quiſnam leget tibi in platea?* [Gloſs vocavit eum עייא *Aiia* per contemptum: Quiſnam leget tibi in platea, eſt ac ſi dixiſſet, hinc Abi.] *Novit ille quare in eum verba talia æffunderet, ſuſcepit ergo* נזיפתא *correptionem per triginta dies.*

Hæſitat de hác re R. *Aſher*, quare *Bar Kaphra* & R. *Chaiia* triginta diebus correptioni iſti ſe ſubderent, cum ea ultra ſeptem dies ſe non extenderet, de qua re quæ diſputet, videat lector ſi vacat.

Differentia inter נזיפתא *Increpationem*, & נידוי excommunicationem hæc erat.

I. Increpatio vel correptio iſta opus non habuit abſolutione, excommunicatio habuit.

II. Quamvis ſe domi contineret ille qui tali correptione erat ictus, nec in publicum prodiret, velut homo pudefactus, à ſocietate ejus tamen non abſtinuerunt alii. Coram illo qui eum iſto fulmine percuſſerat, non comparuit, nec in publico verſatus eſt, cuivis tamen ad eum domi ſe conferre licuit. Sic dicitur

tur R. *Chaiia* triginta istis diebus רבי *Rabbi* docuisse domi.

Correptio [נזיפה] inquiunt magistri, *est cum vir quis illustris alium corripit dicens, quam impudens est N. vel aliquid istiusmodi. Conditio autem hominis ita correpti hæc est. Abscondit se, & domi continet ut pudefactus, ne faciem ejus videat qui eum pudefecit, nec coram eo stet aperto capite. Diminuat etiam de risu suo, & de verbis suis & de negotiis suis, & se contristet coram videntibus. At non opus est ut ab hominibus se retrahat quin cum iis comedat & bibat, & eos salutet. Nec opus est ut eum placet qui illum increpavit, nec opus habet absolutione: sed cum correptionem in se susceperit, tempusque excurrerit, solutus est.*

Confer cum hac נזיפה verba Apostoli, 1 *Tim.* v. 1. Πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς, &c.

Et jam ut ad excommunicationem ipsam transeamus:

I. Excogitata & inventa est excommunicatio apud Judæos, si quid vident oculi nostri, ut pœna esset istorum delictorum, quibus nulla alia pœna decernitur, vel in paginis sacris, vel traditionibus. Vix credo ego eum apud Judæos excommunicatum fuisse, cujus offensioni assignabatur aperte vel à lege, vel à patribus traditionum, pœna vel excisionis, vel mortis, vel flagellationis, vel restitutionis dupli aut quadrupli, *&c.* At vero in rebus istis de quibus nulla talis designatio pœnæ, quid agendum? Peccata erant pœnâ digna, Nullam pœnam ex istis quæ nominata sunt, assignant iis vel lex vel scribæ. At certè providendum est, ne talia perpetrentur impune: Hinc inventa excommunicatio, ut pœna generalis istiusmodi delictorum. Res ipsa ni fallamur hoc loquitur, perpensis iis propter quæ fit excommunicatio.

II. Causæ aut rationes excommunicationis, generalius, duæ erant. Nempe לממונא *Ob pecuniam.* Et לאפיקורסותא *Ob Epicurismum.*

Occurrit hæc distinctio in *Bab. Meed Katon*, fol. 16. 1. Ubi fusè agitur de excommunicatione, & unde plurima petimus de hoc subjecto.

Excom-

Excommunicatio *ob* nummum erat, non cum quis alteri debens pecuniam non ſolveret, nam patuit actio contra eum judicialis, at cum in judicium vocatus, & à conſeſſu ad ſolutionem adjudicatus, tamen non ſolveret.

Quid ſibi velit אפיקורוסא, diſcere licet ex definitione *Epicuri*.

Sanhedr. fol. 99. 2. *Epicurus eſt qui ſpernit verba Dei. Epicurus eſt qui ſpernit Diſcipulos ſapientum.*

Aruch: הפקר *eſt qui loquitur linguâ malâ: Iſte eſt Epicurus.*

Talmudicis אפקר *Præſumptuoſum* denotat, *diſſolutum, hominem ad nullam normam compoſitum.* Inde אפיקורוס *Exlex diſſolutus, intra leges ſcribarum non circumſcriptus.*

Megill: fol. 25. 2. פקרו מיניהם A gloſſatore redditur העיזו פניהם *Obduraverunt facies ſuas hæretici.*

Moed. Katon. fol. 16. 1. מתפקד בשליחא דרבי דינא Gloſs: reddit, *Convitiatur nuntio Synedrii.*

Particulariùs.

Orach. Chaiim. cap. 359. *Dicit Rambam b. m. Ob viginti quatuor cauſas excommunicant vel virum vel fœminam. Et hi ſunt excommunicandi.*

1. *Qui vilifacit Sapientem, etiam poſt ejus mortem.*
2. *Qui vilifacit nuntium Synedrii.*
3. *Qui collegam ſuum vocat ſervum.*
4. *Qui vilipendit verbum unum Scribarum; non opus eſt dicere qui vilipendit legem.*
5. *Qui ad diem à conſeſſu ſibi ſtatutum non comparet.*
6. *Qui in ſe non ſuſcipit judicium conſeſſus, excommunicant eum uſque dum ſuſcipiat.*
7. *Qui apud ſe retinet rem aliquam noxiam. E. g. Canem trucem aut ſcalam confractam: excommunicant eum uſque dum rem amoveat.*
8. *Qui vendit fundum ſuum Ethnico, excommunicant eum, uſque dum ipſe in ſe ſuſcipiat omnem injuriam, quæ inde evenire poteſt Iſraelitæ vicino ſuo.*

9 *Qui teſtimonium perhibet contra Iſraëlitam coram tribunali Ethnico, & teſtimonio iſto pecuniam torquet ab eo. Excommunicant eum uſque dum rependat.*

10 *Sacerdos lanio qui portionem non dividit alteri Sacerdoti: excommunicant eum uſque dum det.*

11 *Qui diem feſtum ſecundum captivitatis profanat, etiamſi ſit ſecundùm conſuetudinem.* De hoc die vid. *Maimon: in Kidduſh Hodeſh.* cap. 5.

12 *Qui opus aliquod ſervile facit veſperiis Paſchatis à meridie.*

13 *Qui nomen Dei inaniter memorat, vel in juramento vel in verbis.*

14 *Qui populum adigit ad comedendum ſacra extra limites.*

15 *Qui populum adigit ad profanationem nominis Dei.*

16 *Qui annum aut menſes intercalat extra terram Iſraeliticam.*

17 *Qui ſcandalum objicit cæco.*

18 *Qui populum impedit à præſtando præcepto.*

19 *Lanio qui diſcerptam beſtiam offert.*

20 *Lanio qui cultrum ſuum non oſtendit ſapienti approbandum.*

21 *Qui obdurat ſe contra ſcientiam.*

22 *Qui dimiſit uxorem, & tamen comparticipationem cum ea habet, & negotiationem.*

23 *Sapiens qui eſt malæ famæ.*

24 *Qui eum excommunicat, qui excommunicationem non meretur.*

Hæc etiam habes apud Claris: *Buxtorf:* in Lexic. Talm. in voce נדוי

Quò intentiùs has excommunicationis cauſas rationesque intuor, eo magis in ſententia mea perſto, inventam fuiſſe excommunicationem ut pœnam pro delictis iſtis cui nulla pœnæ ſpecies definita, vel per legem vel per canones traditionales. Per-

Perpende eas singulatim, & forsan mecum cogitabis.

III. Ille in quem procedendum erat excommunicatione, citatus primo erat, & dies ei indictus quo compareret, misso ad eum nuntio à consessu, qui & de die eum certum faceret, & de personis coram quibus comparendum.

Moed Katon. fol. 16. 1. מתרין ביה שני יחמישי ושני *Indicunt ei diem secundum hebdomadæ* [quo die consessum est in curia & conventum in Synagoga] *& quintum hebdomadæ* [quo itidem die conventum & consessum est] *& secundum hebdomadæ sequentis.* Si die primum indicto non compareret, expectant usque ad secundò indictum, & ad tertiò indictum. Hoc autem erat cum causa foret pecuniaria: אבל לאפיקורוסא לאלתר: *At si ob Epicurismum foret* [si die primùm indicto non compareret] *sine morâ eum excommunicant.*

IV. Primò percussérunt eum simplici excommunicatione quam נידוי *Niddui* vocant, in quâ non erat absoluta maledictio.

Piske הראש in *Moed Kat.* Artic. 55. נידוי סתם אין בו קללה *In Niddui non erat absolutè maledictio. Nam dixerunt tantum* יהא נידוי *Sit N. sub excommunicatione.*

V. Excommunicatio hæc erat in triginta dies.

Hieros. Moed Katon. fol. 81. 3. אין נידוי פחות משלשים *Excommunicatio* [Niddui] *non erat minùs quam in triginta dies. Sicut dicitur usque ad mensem, usque dum exeat caro per nares vestras,* Num. 11. 20.

Si vero excommunicatus intra istud tempus excommunicantes placaret, absolvunt eum illico.

VI. Si vero in perversitate sua persisteret, finitis triginta diebus, eum iterum excommunicant מנדין ומקללין אותו *additâ etiam maledictione*: & hæc secunda excommunicatio vocabatur שמתא *Shammatha.*

Bab. Moed Katon. ubi prius, מנלן דמשמתינן *Unde est quod Shammatizamus? Inde quod scriptum est, Maledicite Meroz.* Jud. 5. 23.

Rabbonu Aſher in loc. fol. 34. 2. *Barak Shammatizavit Meroz: ſicut ſcriptum eſt Maledicite Meroz: quod &* נירוי *Excommunicatio eſt, &* קללה *Maledictio. Nam in voce* ארור *eſt & excommunicatio & maledictio.*

VII. Publicarunt offenſam ejus in Synagoga.

Moed Katon. ubi ante פרטין התאירה בציבורא *Particulatim publicamus crimen ejus in Synagoga.* Gloſs: *Concivibus ejus dixerunt, ob hanc & hanc cauſam, nos eum Shammatizamus*

VII. Si in perverſitate ſua adhuc per hos triginta dies etiam perſiſteret מחרימין אותו *Anathematizarunt eum.*

Moed Katon. ubi ante מנדין ושונין לאחר לומחרימין לאחר *Excommunicant eum: & poſt triginta dies iterum excommunicant* [Shammatizant] *& poſt Sexaginta Anathematizant.*

Rabbonu Aſher ubi prius. *Anathematizant dicendo, ſit ſub Anathemate. Et hoc longe gravius eſt quam vel Niddui vel Shammatha. Nam in hoc eſt & excommunicatio, & maledictio, & prohibitio uſus quorumvis hominum, niſi in iis rebus ſolùm quæ ad vitam ſuſtentandam pertinent. Et non Anathematizant, niſi cum ſe obduraverit contra conſeſſum ſemel iterumque.*

VIII. Rationem horum proceſſuum reddunt in *Moed Katon.* loco allegato, his verbis.

Unde eſt quòd nuntium ei mittunt à conſeſſu [מבר] *? Quia ſcriptum eſt, Et miſit Moſes, ad Dathanem & Abiramum.*

Unde eſt quòd ad judicium citant? Quia ſcriptum eſt, Et dixit Moſes Coracho, Tu & cœtus omnis tuus præſto ſitis.

Unde quòd coram viro aliquo magno & eminenti? Quia ſcriptum eſt, Coram Domino.

Unde quòd corom N. vel tali viro? Quia ſcriptum eſt, Tu atque illi atque Aaron.

Unde quod indicunt ei tempus ſtatutum comparendi? Quia ſcriptum eſt Præſto ſitis cras.

Unde, quòd de tempore in tempus? Quia ſcriptum eſt vocarunt ibi Pharaonem regem Ægypti ſtrepitum, tranſiit tempus ſtatutum, [Hierem. 46. 17. *Unde*

Unde quòd Shāmatizant? Quia ſcriptum eſt, Maledicite Meroz.

Unde quòd Anathematizant? Quia ſcriptum eſt Maledicite.

Unde quòd maledictus eſt qui cum eo edit & bibit, & ſtat intra quatuor cubitos ab eo? Quia ſcriptum eſt ישבירה q.d. *Sedentes ejus vel cum ea* Judic. 5. 23.

Unde quòd crimina ejus publicant in Synagoga? Quia ſcriptum eſt Quia non venerunt ad auxilium Domini.

Unde quòd bona ejus in fiſcum referunt? Quia ſcriptum eſt, Quicunque non venerit intra triduum, Secundùm conſilium principum & Seniorum, perdetur omnis ſubſtantia ejus, Ezra 10. 8.

Unde quòd contendimus cum eo, & maledicimus ei, & percutimus & crines ejus vellicamus, & adjuramus eum? Quia ſcriptum, Et contendi cum illis, & maledixi iis, & nonnullos ex iis percuſsi, & crines convulſi, Nehem. 13. 25.

Unde quòd ligamus conſtringimuſque eum? [Gloſs: Manibus pedibuſque, atque ad columnam ut flagelletur.] *Quia ſcriptum eſt, Aut ad mortem, aut exilium, aut confiſcationem bonorum, aut incarcerationem.* Ezr. 7.26.

Vides excommunicationem apud Judæos, penicillo ipſo Judaico pictam, à capite ad calcem: Et jam an ea, ipſis judicibus, fuerit *traditio in manus Satanæ*, ulterioris eſt diſquiſitionis, & quidem obſcurioris. In terminis minimè occurrit aliquid tale dictum de excommunicatione, & an ſenſu occurrat, judicet lector, ex iis quæ dicuntur de conditione excommunicati.

I. *Piske* הראש in *Moed Katon.* cap. 3. צרה דין המנודה *Hæc eſt conditio excommunicati. Non edunt nec bibunt cum eo nec ſedent intra quatuor cubitos ab eo:* [*uxore & liberis & famulis exceptis quibus permiſſum eſt juxta eum ſedere.*] *Cum gratias agunt* [ad cibum] *eum non conjungunt in gratiarum actione, nec eum adhibent ad rem quamvis, quæ eget decemviratu. At cuivis licet cum eo colloqui, & conducit is operarios, & conducitur ipſe in operarium.*

II. Quoad

II. Quoad ea quæ religionem ſpectabant.

I. Adierunt excommunicati templum ſicut & alii.

Middeth. cap. 2. hal. 2. *Omnes qui intrant in templum ſecundùm conſuetudinem, ingrediuntur viâ dextrâ ac circumeunt: egrediunturque ſiniſtrâ excepto eo cui aliquid accidit, qui circumambulabat ad ſiniſtram.*

Interrogatus, Quid tibi quod ad ſiniſtram circumeas reſpondit, Quia ego ſum excommunicatus שאני מנורה *Cui alter, ille qui hanc ædem habitat indet cordi tuo ut auſcultes verbis ſociorum tuorum.*

II. *Orach Chaiim* ubi ante. *Traditio eſt.* מנורה שונה ושונין לו *Excommunicatus exponit traditiones, atque exponunt ei. Anathematizatus non exponit aliis, nec exponunt ei, aſt ipſe exponit ſecum, ne obliviſcatur doctrinæ ſuæ.*

Piske הראש ubi ſupra artic. 51. *Excommunicato permittitur negotiari in lege: Aſt Anathematizato prohibetur. Verum ille exponit ſecum.*

III. Talmudicos evolvens ſæpiſſimè obſervabit, *Excommunicatum* & *Lugentem mortuos*, iiſdem conditionibus in rebus quam plurimis ſubjici. imo *Lugentem* pejoribus.

Piske Haroſh, ubi ante artic. 51. *Lugens & excommunicatus prohibentur tonderi. Lugens tenetur ad velandum caput, excommunicatus non. Lugens die primo privatur Phylacteriis. Excommunicatus non. Lugenti prohibetur ſalutatio. Excommunicato permittitur: multo magis licet cum eo colloqui. Lugenti prohibetur, ne negotietur in lege: excommunicato permittitur. At Anathematizato prohibetur verſari in lege: verùm ille exponit ſibi ipſi: & facit ipſe ſibi tabernulam pro victu ſuo. Lugens tenetur ad ſciſſionem veſtimenti, excommunicatus non. Lugenti prohibetur ne faciat aliquid opus, Excommunicato permittitur. Lugenti prohibetur ne ſe lavet. Excommunicato permittitur. Lugens non induit ſandalia, Excommunicatus induit. Lugens non coit cum uxore. Excomunicatus coit, &c.*

Ex

Ex dictis videtur concludi poſſe ex una parte Excommunicationem apud Judæos vix ſonuiſſe *tradi Satanæ*, & adſunt etiam nonnullæ rationes, quibus videtur concludi pariter poſſe Tradi *Satanæ* hìc apud Apoſtolum non ſonare *Excommunicationem*. Detur excommunicatum & ejectum ab eccleſia, rejici etiam à Deo, & in manus *Satanæ* quidem tradi: hoc non eſt illud quod penſi jam noſtri eſt penſitare, ſed an vel *Paulus*, per *tradatur Satanæ* vel *Corinthii*, intellexerint Excommunicationem. Nos negativum amplectimur ob haſce rationes.

I. Quia nulla ratio reddi poteſt, cur Apoſtolus rejecto vulgari & notiſſimo *excommunicationis* vocabulo, ad aliud confugeret, ignotiſſimum, obſcuriſſimum.

II. Facinus hujus ſcelerati erat ſupra excommunicationem. Et parvum erat hominem tam nefarium excommunicari. Mortem ille meruit, ut obſervavimus, duplo triplovè: & extraordinario iſti ſceleri congruentius erat, ut extraordinaria aliqua aptaretur pœna, quam vulgatiſſima iſta, excommunicationis.

III. Eccur tam vehementi conſilio atque inſtigatione uteretur Apoſtolus, ad incitandam eccleſiam ut excommunicarent adeo merentem excommunicationem? Num res tam difficulter apud eos impetranda excommunicatio? Quid opus præſentiâ Spiritus *Pauli* in re quibuſvis miniſtris eccleſiæ delegata? quid opus tam ſolenni determinatione [ἤδη κέκρικα] in re de qua fateretur quilibet mereri eum excommunicationem?

IV. Tradi Satanæ erat εἰς ὄλεθρον σαρκός. At quidnam ad illud valere potuit excommunicatio apud hominem in libidines ſuas juratum? Fieri forſan potuit, inquies ut ea talem ſortiretur effectum. At retorqueo ego cum Apoſtolus ait Εἰς ὄλεθρον σαρκὸς non de fortuito effectu loquitur, ſed de indubitato.

His ducti rationibus, ut alias omittamus, cum iis in ſententiam imus, qui de miraculoſa actione locum interpretantur, de reali ſcilicet traditione perſonæ hujus in manus & poteſtatem

Satanæ

Satanæ, ut ab eo flagellaretur, & morbis, torturis, & terroricruciaretur. Atque huc optimè concinunt, & Phraſiologiæ circa hanc rem adhibitæ ab Apoſtolo, & rei ipſius circumſtantiæ.

Ἡδὺ χάκρικα ὡς παρών.

Tradere Satanæ nunquam memoratur in ſcriptura, niſi cum adeſſet poteſtas Apoſtolica, ut hîc & 1 *Tim.* 1. 20. Et poteſtas iſta Apoſtolica miraculosè feriendi obſtinatos, aut nefariè peccantes quâvis pœnâ, uſitatè ab iis non exerebatur, niſi coram in os, ut à *Petro* in *Ananiam* & *Sapphiram*, & à *Paulo* in *Elymam*: itemque, ut veriſimilimum, in *Hymenæum* & *Alexandrum*, hic tamen longe diſtans & remotus, judicavi, inquit, & decrevi, à longinquo poteſtatem iſtam meam in hunc ſceleratum exercere, ac ſi præſens eſſem & coram in os; quod quidem non uſitatè fit, at ſcelus hoc etiam non uſitatum. In hunc ſenſum reddenda eſt iſta Clauſula ᾧ τῷ πνεύματί μου *i. e.* ſpiritu meo Apoſtolico, vel dono ſpiritus mihi conceſſo. Sic *ſpiritus Eliæ habitabat ſuper Elizæum* 2 *Reg.* 2. 15. id eſt, Spiritus *Eliæ* propheticus. 3. Clauſulamque iſtam, Ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, confer cum eadem Phraſiologia, *Act.* 3. 6. cum ſcilicet edendum erat miraculum. Itemque. 4. Vox Δύναμις uſitatiſſimè in Evangeliis ad miracula refertur, de poteſtate diſciplinaria uſurpatur rariſſimè ſi omnino.

Diſcurſum noſtrum de excommunicatione apud Judæos concludamus traditione inter eos recepta, quam vide ſi lubet.

Shabb. fol. 110. 1. חויא רבנן דטרקיה ליה ליה אטותא *Si ſerpens Rabbinorum quemvis momorderit, non eſt ei medela--Bar Kaſhain Pumbeditha morſus fuit à Serpente Rabbinorum, & nulla ei medela.* Gloſs: *Quia tranſgreſſus fuerat contra excommunicationem ſapientum, ideo cum morſus foret à ſerpente, nulla ei ſanatio.*

Ver.

VER. 9. Ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ.

In Epistola? Quanam?

I. Aoristus Ἔγραψα, etiam *Scripseram* reddi potest, absque ulla injuriâ Grammaticæ. *Scripseram in hac epistola, Ne commisceamini*, &c. antequam ad me perveniret hujus sceleris fama: at nunc istud audiens, stylum magis acuo, arctiorique prohibitione vos constringo. *Nè* scilicet *cum talibus comedatis.*

II. Miserat Apostolus *Timotheum* ad Corinthios antequam hanc epistolam scriberet, *cap.* 14. 17. & verisimile est eum aliquam epistolam per eum misisse, in qua sic scripserat. Ast ad Apostolum accedentibus *Stephano*, *Fortunato*, & *Achaico*, totumque statum ecclesiæ Corinthiacæ ei pandentibus: literasq; quæstionesque ei ab ecclesia reddentibus, cum adhuc quod norunt ii, *Timotheus* ad *Corinthum* non perveniisset, ille hâc epistolâ istam complectitur & supprimit: & si istam intercidisse dixeris, verè quidem aliqualiter dixeris, quia ad nos non pervenit exactum exemplar istius epistolæ: At non verè etiam aliqualiter, quia omnia in epistola ista comprehensa, in hac habemus, & multa præterea.

Μὴ συναναμίγνυσθαι.

I. Planum est Apostolum altiùs hic insurgere atque arctiori monitione eos obligare, quam fecerat ante. Scripserat ante Μὴ συναναμίγνυσθαι, jam scribit Μὴ συνεσθίειν.

II. Planum etiam est, verba eum sua collimare in profanos Christianos, non in Ethnicos, & nunc & cum scriberet antea. Nam erant inter Christianos ab Ethnicismo conversos, absque dubio aliqui quorum parentes aut filii aut cognati non adhuc conversi, in Idololatria, avaritia, & scortationibus

volutabantur. Jam vero non erat Chriſtiano obliviſcendum omnium harum neceſſitudinum. Nec erga eos abjicienda omnis familiaritas & officium.

III. Vox συναναμίγνυσθαι *Neceſsitudinem aliquam interiorem denotat*, inquit *Camerarius*, quod quidem aliqualiter verum eſt, diſtinctâ iſtâ neceſſitudine interiori, in magis conjunctam & minus.

Συναναμιξις converſatio iſta reputanda eſt, & neceſſitudo, quam inire Judæo licuit cum Judæo, & non cum Ethnico: ad cujus normam, ut maximè notam, loqui Apoſtolum vix poteſt dubitari.

I. Negotiatio & mercatura permiſſa eſt Judæo cum Ethnico: ſub hac tamen atque aliis nonnullis iſtiusmodi cautionibus לפני אידיהן שלשה ימים *Triduo ante dies feſtos Ethnicorum, prohibitum eſt cum iis dare & accipere, mutuo dare aut mutuo aſſumere, reddere aut repetere*, &c. *Avodah. Zarah.* cap. 1. Hanc ſub ſignificatione vocis συναναμίγνυσθαι cadere vix credo.

II. Unâ & ad eandem menſam conveſci erat συναναμίγνυσθαι, quod certe ſatis patet ex ſtricta talis convictûs cum Ethnico prohibitione. Phariſæus in foro & nundinis negotiari voluit cum plebeio, at noluit cum eo conveſci: Siç voluit plebeius cum Ethnico, mercaturam exercere, ſed noluit cum eo comedere. Apoſtolus ergo voces συναναμίγνυσθαι & συνεσθιειν non inter ſe opponit, ſed συνεσθιειν proponit ut gradum quendam συναναμίξεως. Nam

III. Erat, quod vel communi experientiâ obſervari poteſt, neceſſitudo longè interior, quam nuda talis comeſtio, ea nempe quæ à Juriſtis Judæorum vocatur שותפות *comparticipatio* in mercatura aut negotiatione: atque ea quæ à nobis vocatur *Deputatio*, utraque Judæo prohibita cum Gentili.

Bab. Sanhedr. fol. 63. 2. אסור לאדם שיעשה שותפות בגוי *Prohibitum eſt homini comparticipationem inire cum Ethnico. Ne forte aliquando oporteat jurare, & cogatur jurare per Idolum ejus.* *Maimon:*

Maimon: *Schilluchin*, &c. cap. 2. אין הגוי נעשה שליח *Ethnicus non fit nuntius* vel deputatus *pro re quavis*: *Nec fit Israelita deputatus pro Ethnico.*

IV. Conjunctior & adhuc erat necessitudo, ex contracto matrimonio & affinitate: hanc συγκατάμιξιν vocant Lxx. *Josu.* 23. 12.

Et jam non arduum admodum est, sensum Apostoli expiscari: quem sume hac Paraphrasi. Scripsi vobis in Epistola, ne interiori aliqua familiaritate aut necessitudine cōmiscearnini cum scortatoribus: quod non intellexi tam de scortatoribus ethnicis quam de iis qui vocantur fratres aut Christiani: Jam vero & idem scribo ne tali familiaritate cum iis aliisque ejusdem stigmatis, ut avaris & Idololatris commiscearnini, imo ne eâ quæ remotissima, nempe comestione cum homine istiusmodi ad eandem mensam.

VER. 12. Τί γὰρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν;

Hæsitare hîc forsan potes de versione & sensu vulgo receptis. *Beza*. *Quid meâ interest*. Gallic: *Qu' ay ie affaire de juger*. Ital. *Che appartienni à me giudicare*. Novi satis Phrasiologiam τί μοι frequentissimè hoc sensu occurrere: at quærere hinc meritò licet, si nihil tuâ interest ô sanctissime Apostole, eos judicare qui sunt extra, quare judicasti *Elymam* cæcitate? & *Hymenæum* & *Alexandrum* traditione in manus *Satanæ*, Apostatas jam factos, & non alios quàm extraneos?

Quid si ergo verba in hunc sensum redderentur, *Quare enim mihi conceditur judicare etiam de iis qui foris sunt?* Id est, Apostolicâ meâ authoritate, etiam ethnicum percutere divinâ aliquâ plagâ, si ille insanabiliter hostis & blasphemator Evangelii, quod feci cum *Elyma*, &c. Quare hoc mihi conceditur, nisi ut immedicabilia talia vulnera ense recidam? Et nonne vos quoque intra sphæram vestram eos judicatis qui intus sunt?

Jam vero eos qui foris sunt, quos ego sic judico & percutio, Deus judicat & percutit, & vindictâ suâ censuræ meæ suffragatur. Καὶ ἐξαρεῖτε Pari modo & vos, quod in vobis est facientes, potestis per manum istam Dei tollere hunc, aliosque istiusmodi nefarios. Negligi non potest quin observetur Ἐξαρεῖτε futuri esse temporis, & non temerè reddenda est, alio tempore. Totam Periochen ergo hac Paraphrasi explicamus. Mihi datur à Deo etiam eos qui extra sunt, judicare: & nonne vos etiam de iis qui intus sunt judicatis? Eos verò qui extra sunt quos ego judico, Deus ipse judicat, & vos etiam pari judicio potestis impium hunc è medio vestri tollere: Lxx. in *Deut.* 17. 7. Ἐξαρεῖς τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν, alibique frequentissimé.

CAPUT VI.

Ver. 1. Κρίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἀδίκων.

NOn possumus non hîc primò verba *Titi imperatoris* in mediũ proferre, ad seditiosos in *Hieresolyma* obsessos sic dissertãtis πρῶτον μὲν ὑμῖν τιμό τε χώραν ἔδομεν νέμεσθαι καὶ βασιλεῖς ὁμοφύλους ἐπεστήσαμεν· Ἔπειτα τοὺς πατρίους νόμους ἐτηρήσαμεν καὶ ζῆν οὐ μόνον καθ' ἑαυτοὺς, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους ἐπετρέψαμεν ὡς ἐβούλεσθε. *Joseph. de bel.* lib. 6. cap. 34.

Judæos propriis legibus sub Romano imperio jam vixisse, clarius est, quam ut demonstratione indigeat: & testibus Gemaristis, Judicia pecuniaria, vel περὶ τῶν βιωτικῶν, ab iis ablata non sunt aute tempora *Simeonis Ben Jochai. Hieros. Sanhedr.* fol. 24. 2. Jam dicas mihi velim, an non Judæis ad Christianismum conversis eadem permissa? Exemplum sumamus in ecclesia hac Corinthiaca: Constitit ea ex Judæis, & Gentilibus jam conversis. Judæi dum non credentes in Synagogâ sua habuerunt בר שלג *Consessum triumviralem* qui judicarent

περὶ

ἀεὶ τῶν Ἰουδαίων, idque permittente imperio Romano. Translati jam sunt in Synagogam vel Congregationem Christianam, & cum iis Gentiles qui credunt: Num iis à Romanis negatum in Congregatione Christiana, quod concessum in Synagoga? 1. Nulla omnino adhuc excitata erat in Christianos persecutio, à Romanis, cum Apostolus hæc scriberet: Nam excurrebant anni non pauci antequã *Nero* in istam nequitiam prorumperet. 2. Parùm curæ Romanis fuit distinguere inter Synagogam Judæorum Judaizantem & Synagogam Judæorum Christianizantem: illudque *Gallionis* ut res se habuit, *vos ipsi videritis judex ego horum esse nolo*, Act. 18. 15. *Ipsis de nominibus & rebus legis suæ liberum erat ut judicarent.*

Dignissimi ergo reprehensione erant hi *Corinthii*, quos penes erat apud seipsos judicia talia liberè exercere, in scandalum tamen Evangelii & Christiani nominis, ad tribunalia Ethnica confugerunt.

VER. 2. οὐκ οἴδατε ὅτι οἱ ἅγιοι τὸν κόσμον κρινοῦσι;

In bifidam glossam torquetur hic locus.

A *Chiliastis*, in sensum nescio quem, quem mallem apud ipsos requiras, quam à me expectes.

Ab aliis, in hanc sententiam, *Sanctos in extremo Judicio, Christo fore assessores, ejusque judicium approbaturos.* Et huc adducunt verba ista salvatoris, *Mat.* 19. 28. *Luc.* 22. 30. *Cum Sederit filius hominis in throno gloriæ suæ, sedebitis & vos in thronis duodecim, &c.*

Miror, commata, illustris adeo & notandi thematis, qualia sunt illud quod jam tractamus, illudque quod adducitur, adeo à proprio & genuino sensu alienari; quod dictum velim pace doctorum.

Trutinemus primùm verba Salvatoris.

I Parùm quidem Logicè sic arguitur [si verba ista eo sensu, quem

quem volunt, forent ſumenda] *vos duodecim ſedebitis in duodecim thronis, judicantes duodecim tribus Iſraelis:* Ergo, Omnes ſancti judicabunt mundum, ut aſſeſſores Chriſti, in extremo judicio. Quam aſperitatem ſic emolliunt. *Quod illis dixit, omnibus dixit qui eos fuerint imitati.* Primaſius. *Hîc erit aliqua Apoſtolorum ſupra reliquos ſanctos eminentia.* Beza: Sic & alii quamplurimi.

II. Aſt aderat *Judas* cum proferrentur hæc verba à ſalvatore: & nonne ille etiam intra numerum iſtum duodenarium concludendus? Verùm hoc omiſſo, Aderant plures etiam cum ille hæc diceret, qui eum ſequuti fuerant in regeneratione, & ſi omnes illi, omneſque ſancti in toto terrarum orbe futuri, intra iſtud privilegium aſſeſſionis cum Chriſto forent concludendi, cur reſtringitur numerus, tantum ad duodenarium? *Vos duodecim*, id eſt, omnes ſancti, *judicabitis duodecim tribus Iſraelis*: id eſt, totum mundum, eſt gloſſa adeo ſpinoſa, ut digitis quidem meis ſit omnino intractabilis.

III. Senſum verborum exhibuimus ſuo loco. Per ſeſſionem ſcilicet Chriſti *in throno gloriæ ſuæ*, non intelligendum eſſe tribunal ejus in extremo judicio, ſed cùm adventurus foret in gloria vindictæ ſuæ, in gentem Judaicam: Tum, non perſonas, ſed doctrinam duodecim Apoſtolorum, gentem iſtam nequiſſimam, judicaturam ac damnaturam.

Et quod ad ipſam ſententiam de Sanctis Chriſto aſſeſſuris.

I. Nihil planius eſt in ſcripturâ quam quod omnes *ſtabunt ante* tribunal Chriſti, 2 *Cor.* 5. 10. tam oves quam hirci, *Mat.* 25. 32, *&c.* Mentio quidem occurrit de regnando cum Chriſto ſed nuſpiam de judicando cum Chriſto in die judicii.

II. Quam nihil illud ſonat, *Sancti approbabunt judicium Chriſti?* Num ob hoc erigendi ſunt throni, ut iis inſidentes approbent judicium? Ipſi quidem Diaboli, & damnati, non poterunt non juſtitiam ejus fateri.

III. Et qualis quæſo hæc argumentatio? Sancti in die extremo

tremo approbabunt judicium & sententiam Christi: Ergo vos potestis judicare de iis quæ spectant hanc vitam.

Nos ergo nequaquam dubitamus, sensum verborum horum, *Nonne nostis quod sancti judicabunt mundum?* planissime hunc esse, *Nonne nostis quod Christiani futuri sunt magistratus, & judices in mundo?* Quod clarissime liquet ex hisce observatis.

I. Vox Ἁγίων commate præcedenti, omnes Christianos denotat, ut oppositos *Infidelibus*, Christianismum non profitentibus: Hos autem omnes, cum Christo mundum judicaturos, non fatebuntur sententiæ istius suffragatores: & reddatur tum ratio, cur vox, hoc in commate, diverso sensu & strictiori sumenda sit, quam eadem vox in præcedenti.

II. Loquitur Apostolus ut de re nota, & ex confesso οὐκ οἴδατε. Ast unde hoc notum vel noscendum, Christianos futuros magistratus & judices mundi? Facillimé apertissimeque è *Daniele* cap. 7. 18, 27. Ubi cum exciderentur quatuor Monarchiæ Ethnicæ, quæ mundum sub tyrannide sua tam diu rexerant; transferendum tandem erat regimem & dominatio, & imperium sub toto cœlo ad populum *Sanctorum* Excelsi. Quo sensu & qua latitudine sumenda sit vox *Sanctorum*, ex Antithesi discas in isto capite quam planissimâ. Regimen & dominatio & imperium sub toto cœlo fuerat antea Ethnicorum, at sub regno Christi, *Sanctorum*: id est Christianorum.

III. Quadrat hic sensus optimè cum argumento Apostoli, Ne putetis illicitum de litibus inter vos emergentibus inter vos dijudicare: non confugiendo ad tribunalia Ethnica contumeliam Evangelio impingatis, nam advertite quid prædictum à *Daniele* quod bene nostis, *Sanctos* scilicet, id est, *Christianos* olim dominatione & regimine totius mundi potituros, prout jam diu potiti sunt potiunturque Ethnici. Si olim jus iis erit dominandi, certe vobis hodie fas est de litibus determinare.

IV. Congruit cum sensu hujus loci illud quod dicitur ab *Apocalypte*, cap. 20. 4. Quod cum ligasset Christus Satanam,

ne

ne Gentiles ulteriùs deciperet uti fecerat ante per idola, oracula, &c. Eriguntur throni, & datur judicium illis qui in iis ſedent, poteſtas ſcilicet & authoritas judicandi, & regendi & magiſtratum exercendi.

VER. 3. Οὐκ οἴδατε ὅτι Ἀγγέλους κρινοῦμεν;

Non dicit ut ante, *Sancti* judicabunt Angelos ſed *Nos* judicabimus. Per *Angelos*, Diabolos intelligi fatentur omnes: Aſt omnes certè *Sancti* [ſecundum latitudinem iſtius vocis, commatibus præcedentibus] id eſt Chriſtianiſmũ profeſſi non judicabunt Diabolos. Nec intelligenda eſt hæc judicatio Angelorum in die extremo: At loquitur Apoſtolus de miniſtris Evangelii, ſeipſo aliiſque, qui per prædicationem Evangelii nominiſque Chriſti, Diabolos oraculis Idoliſque ſuis ſpoliaturi erant, adorationibus ſuis privaturi, ſedibus expulſuri, & dominio exuturi. Adeo ſub dominatione Chriſtiana ſubjecturus eſt Deus totum mundum, ut magiſtratus Chriſtiani judicaturi ſint homines, & miniſtri Evangelii Diabolos: Et vos de litibus quibuſdam trivialibus non inter vos dijudicare?

VER. 4. Βιωτικὰ μὲν οὖν κριτήρια, &c

Ut diſtinguerentur judicia apud Judæos in דיני ממנות *Judicia pecuniaria* & דיני נפשות *Judicia capitalia*, cuivis notum. An κριτήρια βιωτικὰ & דיני ממנות fuit convertenda non diſputamus: Certe ſub דיני ממנות uti opponuntur לדיני נפשות *Judiciis capitalibus* comprehenſa ſunt omnia Judicia infra capitalia: Hinc illud quod obſervamus alibi, *Judicia capitalia ablata ſunt ab Iſraele quadraginta annis ante exciſum templum.* Hieroſ. Sanhed. fol. 24. 2. *Et judicia pecuniaria ablata ſunt ab Iſraeli in diebus Simeonis ben Jochai*, ibid. col. 1.

Τὰς

Τὰς ἐξουθενημένας ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ.

I. *Viliſsimos*, vel *maximè contemptibiles*, hîc interpretari, quod faciunt verſiones nonnullæ, duriuſculum certè eſt & incongruum. Quid? Inopes, & ex eleemoſynis, aut labore aſpero victum quæritantes, judiciis præficit? unde talibus vel peritia judicandi vel otium? Quam promptum iis lucro proprio conſulere potius, quam juſto judicio? Et quis non ſpreverit tales judices?

Referenda eſt ergo vox Ἐξουθενημένους, non ad infimos de plebe, ſed ad infimos de claſſe judiciaria.

II. Claſſis iſta hos ordines habuit in ſubſelliis Judaicis, ſecundùm quorum morem, & diſpoſitionem loqui Apoſtolum eſt vero ſimillimum.

1. Erat *Synedrium magnum*, è ſenioribus conſtans Lxxi.

2. Erat *Synedrium viginti-triumvirale*, in civitatibus nobilioribus.

3. Erat בר של ג *Conſeſſus triumviralis*, in unaquaque Synagoga.

4. Erat בר של מומחין *Conſeſſus Authorizatus* vel Authenticus.

5. Erat בר שאינן מומחין *Conſeſſus non Authorizatus*: Ἐξουθενημένος, *non Authenticus*.

III. Diſtinguimus primò, inter בר של שלשה *Conſeſſum Triumviralem* conſtitutum in unaquâque Synagogâ, & בר מומחין *Conſeſſum Authorizatum*, utcunque de tribus hominibus etiam conſiſtentem. Nam conſeſſus triumviralis in unaquâque Synagoga, conſtitit ex tribus Senioribus, rite & per impoſitionem manuum promotis ad Presbyteratum. At בית דין מומחין, conſeſſus iſte quem *Authorizatum* dicimus, non ſemper conſtitit ex hominibus, per ordinationem ad Presbyteratum promotis, ſed non raro ex hominibus, diplomate aliquo

ſpeciali, à Synedrio iis conceſſo, authoritatem in his vel illis rebus dijudicandi recipientibus. Conſtitit plerumque ex חכירים *Collegis Sapientum*, viris quidem doctis & ſcholaribus, ſed qui non adhuc cooptati forent in ordinem & Claſſem Presbyterorum.

Et munera ut plurimùm מומחין erant diverſa à muneribus & officiis conſeſſus triumviralis. Illius erat judicare de rebus pecuniariis, de injuriis, *&c.* Horum, judicare de primogeniis pecorum offerendis domino, an labe carerent necnè, *vid. Becoroth.* fol. 48. 1. de Amuletis fœminarum geſtandis aut non geſtandis Sabbato, *Shab.* fol. 57, *&c.* De cultris lanionum an liciti annon & de rebus variis ejuſdem farinæ.

IV. Cum vocabula בר שאינן מומחין reddimus *Conſeſſum non Authenticum*, ideo ita dictum, intelligimus, non quod judicia & determinationes iſtiuſmodi conſeſſus non valerent, ſed quod Conſeſſus ipſe authoritatem ſuam non reciperet à Synedrio, ſed ab iis eligeretur inter quos pendebat controverſia.

Bava Mezia, fol. 32. 1. *Rabh Nachman dicit. Vidua* [ſi quid de dote ſua vendere velit] *non opus habet* בר של מומחין *Conſeſſu Authorizatorum, ſed opus habet* בר של הרוטיות *Conſeſſu Idiotarum*, vel hominum privatorum.

Maimon: in אישות *cap.* 17. hæc citans ſic habet. *Vidua, viduatáne ſit poſt matrimonium, an poſt deſponſationem, juramento aſtringitur, & fundum mariti ſui vendit* [in alimoniam ſcilicet ſuam] *vel in Conſeſſu* מומחין *Authorizatorum, vel in Conſeſſu* שאינן מומחין *Non Authorizatorum: Iſte autem conſeſſus eſt, cum tres viri adſunt, honeſti & periti in æſtimatione fundi.*

Ad hunc uſitatiſſimum Judæis conſeſſum, reſpicere videtur Apoſtolus hoc in loco: & modum lites ſuas finiendi, Corinthiis præſcribere, notum, facilem & abſque ſumptu.

Conſeſſum מומחין non incongruè vocare poſſis Τὸς Αὐθεντικὸς hunc שאינן מומחין vocat ille ἐξουθενημένους: Non

viles

viles aut *contemptibiles* sed *Non Authorizatos.*

Hortatur ergo, ut si quando emergant inter eos lites, de rebus pecuniariis, aliisve, neutiquam ad tribunalia Ethnica confugiant, quin potius inter seipsos homines aliquos privatos eligant, in istiusmodi rebus judices ac arbitros.

Sanhedr. fol. 3. 1. דיני ממונות בשלשה הדיוטות *Judicia pecuniaria possunt esse per tres homines privatos* גזלות וחבלות ב ג מומחין *Judicia de raptis & damnis per tres Authorizatos.*

Jevamoth. fol. 101. 1. *Præceptum de discalceatione leviri, tres Judices requirit:* אפילו שלשתן הדיוטות *etiamsi tres isti sint homines privati.*

Rambam in loc: הדיוטות אינן חכמים *Privati* i. e. *qui non erant Sapientes.* Et R. Sol. *Qui non erant de concessu seniorum in urbe sua:* & tamen in ista causa potuerunt esse Judices.

A Deo, isti quos in ea re Judicare oportuit, vocantur זקנים *Seniores*, Deut. 25. 9. *Accedet ad eum uxor fratris sui in conspectu seniorum*, &c. Et à Talmudicis vocantur *Judices* דיינין, & tamen poterunt esse homines privati.

Plurima etiam dicunt iidem patres traditionum, de actore & reo, judices vel arbitros sibi ipsis eligentibus, de litibus suis decisuros, utque teneantur litigantes sententiæ eorum se subjicere sit licet forma judicandi, non omnino secundum formam statuti.

Exempli gratia. Requirebantur tres judices ad determinandum de litibus pecuniariis, iique per Canonem & statutu, seniores vel Presbyteri facti per legitimam ordinationem. At licuit litigantibus, si vellent, unum talem tantum, sibi arbitrum vel judicem eligere: vel tres privatos & non Presbyteros.

Sanhedr. fol. 5. 1. *Tradunt Rabbini. Judicia pecuniaria sunt per tres.* ואם היה מומחה לבית דין אפילו יחידי *At si sit Authorizatus potest judicare solus. Dicit Rabb. Nachman, sicut*

ego judico de rebus pecuniariis ſolus: Et ſic dicit R. Chaiia, ſicut ego judico de rebus pecuniariis ſolus.

Imo ſi ſit *electus à litigantibus*, potuit judicare ſolus: nam hoc obtinuit אם קיבלו עליהם *Si in ſe ſuſceperunt*, judicio unius iſtius ſenioris aut trium iſtorum privatorum ſe ſubjicere, oportuit ſubjici, & valuit judicium.

De hac re agit utrumque Talmud ſatis copiosè in Codice *Sanedrin*. cap. 1.

Ex *Babylonico* hæc ſume loco jam allegato.

Rabh Nachman judicavit, & erravit in judicio. Acceſsit ergo ad Rabh Joſeph, à quo hæc audiit אם קיבלוך עליהו לא תשלם *Si in ſe ſuſceperunt tuo judicio ſtare, non teneris ad ſolutionem damni, &c.*

Et aliquanto poſt. *Rabban Simeon ben Gamaliel dicit* הדין בשלשה ופשרה בשנים *Judicium eſt per tres, & arbitratio* vel reconciliatio *per duos. Et melior eſt vis reconciliationis, quam vis judicii: Nam duobus judicantibus, poſſunt litigantes ab eorum ſententia recedere: At vero cum duo arbitri litem componunt, non poſſunt litigantes ab eorum ſententia recedere.*

Ratio utriuſque eſt, quia duo Judices non erant juſtus Conſeſſus; Si ergo ii judicare vellent ex officio, non valuit eorum Judicium, at ſi ſpeciatim pro arbitris eligerentur à litigantibus, valuit. Nam ut Gloſſa, *A ſententia duorum qui litem componunt non poſſunt litigantes recedere, nam eos elegerunt.*

Hoc etiam ex *Hieroſolymitano*, fol. 18. 1. *R. Abhu ſedit judicans ſolus Cæſareæ: Dixerunt ei Diſcipuli ejus, Nonne Rabbi hoc nos docuit? Nè quis judicet ſolus. Reſpondit iis, cum me videretis ſedentem ſolum, & tamen ad me accederetis, eſtis ac illi qui judicem ſibi recipiunt.*

VER. 12. Πάντα μοι ἔξεστιν, &c.

Transit jam Apostolus ad aliud Thema, agitque tacitè contra pestem istam in ecclesia, nimis grassantem facinorosam hæresin *Nicolaitarum*, quæ ad comedenda Idolothyta suasit, & fornicationem.

I. Sectam *Nicolaitarum*, à *Nicolao* de septem Diaconis uno, cognominationem suam hausisse qui negaverat, næ ille toti antiquitati videbitur certe contrariari. Et tamen inter ipsos antiquos, non satis est de re consensum: Adeantur authores, & in partes eos iviisse comperies, an à facto *Nicolai* emanarit hæresis, an à quodam dicto. Quid si à neutro? At à verbo ניכולה *Nicolah* deductum sit sectæ nomen, quod denotat *Comedamus*. Nam ut vox Hebræa נאכל Chaldæis transiret in ניכול quis non novit? Et cum nequissimis istis homuncionibus, nihil antiquius foret, quàm sese mutuo ad comedenda Idolothyta animare, dicentes invicem aliisque quod conjectari licet, ניכולה *Nicolah Comedamus*, quàm aptissime inde ab Orthodoxis denominari poterant *Nicolaitæ*? Targ. in *Esai.* 20. 13. אמרין ניכול בסר

II. Undecunque Sectæ nomen, vix dicas an horrenda ea magis an miranda. Nam cum nuperrime decreverit *Synodus Hierosolymitana* contra comestionem Idolothytorum, & scortationem *Act.* 15. stupendum est exortum illico esse genus hominum, eorumque Evangelium profitentium, qui ipsi omni audacia in contrarium irent, aliosque omni nixu ac industria excitarent ad Comedendum Idolothyta & fornicandum.

III. Præterquam quod prætextu libertatis Christianæ usi abusique sunt nefarii isti, in rebus hisce nequissimis peragendis, argumenta etiam excogitarunt nequitiæ suæ velandæ, audaciæque tutandæ accommodata; quæ ordine perstringit Apostolus. Primum est illud, Πάντα μοι ἔξεστιν, Quæ quamvis de seipso optimè

optimè dicere potuit *Paulus Omnia mihi licent*, ut *cap.* 10. 23. Tacitè tamen videtur ipſorum verba & argumentationem inſuſurrare: quibus etiam reſpondet, *At omnia tamen non expediunt. At ego non ſubigar ſub cujuſvis poteſtate.*

Secundum eſt. *Venter deſtinatur eſcis.* Idolothyta ſunt eſcæ ergo. Reſpondet *Deus & hunc & has deſtruet.* De anima ergo præcipuè eſt curandum, non de iſtis rebus quæ perituræ. Et detur ventrem deſtinari eſcis, at corpus tamen non deſtinatur fornicationi, ſed Domino.

VER. 16. Ἔσονται γὰρ φησὶν οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.

Bereſhith Rabb. ſect. 18. *Eruntque illi duo in carnem unam* מקום ששניהם בשר אחר *In loco ſcilicet iſto ubi conficiunt carnem tantùm unam.* Quæ aptior eſt Gloſſa, quam primo aſpectu reputares, & quam reſpicit Apoſtolus planiſſimè hoc in loco. Verba iſta apud *Moſen* juſtum matrimonium reſpiciunt, at flectit ea Apoſtolus ad carnalem etiam copulam cum ſcorto. Unde neceſſe eſt ut verba *Moſis* hoc ſenſu accipias, Relinquet ergo vir patrem & matrem, & adhærebit uxori, & erunt illi duo [tantum] in carnem unam, *i. e.* Illi inter ſe tantùm carnaliter copulabuntur, & non cum quovis vel quavis alia.

CAP. VII.

VER. 3. Τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν.

QUid [illegible]hîc intelligi ſoleat ſatis eſt notum: Quamvis enim vox Εὔνοια omnia mutua convictûs officia includat, vides quonam ſe applicet Apoſtolus *ver.* 5. idque non ſine ratione, cum ridicula multa ſeriò de re iſta præſcripſerint Judæorum magiſtri: aliquando tempora concubitûs ſtatuta definientes

tes: aliquando votum abstinentiæ permittentes. Prohibet modestia nugas eorum referre. Mallem lector eos ipsos adeat quam ut charta nostra iis commaculetur. Hæc pauca tantum non possumus non in medium proferre ut pateat aliquantùm ratio, quare Apostolus de hac re agat.

Chetubb. cap. 5. hal. 6. *Concubitus de quo mentio in lege hic est. Generosis qui nec mercaturam nec opus aliquod aliud exercent, unaquâque die. Operariis bis in hebdomada--- Discipulis sapientum unaquâque vespera Sabbati.*

Ver. 5. Μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους, &c.

Ibid. *Qui voto uxorem constringit à concubitu, secundùm Scholam Shammæanam, illud faciat in duas Hebdomadas: secundum Hillelianam in unam tantùm.*

Rambam in locum. *Observet votum hoc suum per Septimanam unam tantùm. Quòd si ulterius velit, dimittat eam & reddat dotem.*

At dicunt, Exeant scholares ad discendam legem, etiam absque permissione uxorum, per triginta dies. Hæc quidem sunt verba R. Eliezaris, *At secundum sapientes, per biennium licet vel triennium, & traditio est secundum sapientes.*

Exempla habes quorundam longe limites hosce excedentium, in *Gemara* ad locum allegatum, quam vide.

Concludit *Rambamus* [de plebe scilicet] *Scito quod penes uxorem est retinere maritum, ne eat ad mare, vel in exercitum, nisi in propinquo: ne scilicet defraudaretur debito concubitu. Restringere etiam eum illa potest ne transeat ab uno opificio in aliud, ne inde diminuatur concubitus ejus. Studio legis solùm excepto.*

VER. 6. ὃ κατ' ἐπιταγήν.

Συγγνώμη & ἐπιταγὴ aliqualiter reſpondent verbis iſtis apud patres traditionum uſitatiſſimis רשות & תובה Jam vero illi matrimonium ſevero præcepto præſcriptum volunt.

Maimon. in אישות cap. 15. *Vir mandatur de generatione, & multiplicatione, ſed non fœmina. Et quandonam venit vir ſub hoc mandato? Ab ætate ſedecim aut ſeptemdecim annorum. Quod ſi viginti annos exceſſerit non ductâ uxore, ecce is violat & inane reddit præceptum affirmativum. At vero ſi ſit ſtudioſus in lege, atque in ea verſans, ſique metuat ſibi à matrimonio, ne cura de alendâ uxore impediat ſtudium ejus in lege, licet ei adhuc morari. Quia qui occupatus eſt in præceptis, liber eſt ab iſto præcepto: multo magis is qui verſatur in ſtudio legis. Is cujus animus verſatus eſt in lege ſemper, ut* Ben Azzai, *atque ei incumbit omnibus diebus ſuis, ſi uxorem non ducat, in manu ejus non eſt iniquitas. At ſi in eum prævaleat affectus, uxorem ducat, etiamſi ſint ei jam liberi, ne incidat in malas cogitationes.*

Jevamoth. cap. 6. hal. 6. *Ne ſe cohibeat vir à generatione & multiplicatione, niſi jam ſunt ei liberi.*

Gemara in loc: *Si ſint ei liberi, à generatione & multiplicatione ſi cohibeat, ab uxore autem ducenda ne ſe cohibeat--- Prohibitum eſt ei eſſe abſque uxore, quia dicitur, Non bonum eſt homini ut ſit ſolus.*

Ibid. fol. 63. 2. *Quicunque ſe non addicit generationi ac multiplicationi, idem eſt cum homicida--- Eſt ac ſi diminueret de imagine Dei, &c.*

Determinat ergo Apoſtolus contra ſcholas Judaicas, non obligari hominem ex lege ad matrimonium, ſed ſui juris in hac re eſſe, ut contrahat vel non, prout ſe experiretur continentem vel ſecùs. Dixerunt illi Præceptum eſt ut unuſquiſque uxorem ducat, at dicit ille *Præceptum non habeo.*

VER.

VER. 9. Κρεῖττον γὰρ ἦν γαμῆσαι ἢ πυρωθῆναι.

Ut percipias sensum vocis πυρωθῆναι audi historiam.

Kiddushin fol. 81. 1. *Adductæ fuerunt captivæ quædam fœminæ ad Nehardeam, ac dispositæ in domo inque* ὑπερῴῳ *Rabb Amrami.* אשׁלו דרנא מקמיהו *Scalam*, vel gradus *amoverunt* [ne fœminæ descenderent, nam illic reclusæ sunt donec redimerentur] *Prætereunte una earum juxta fenestram, effulsit lux venustissimæ formæ ejus in domum. Amramus* [formâ fœminæ captus] *admovit gradus iterum, quos decem homines admovere vix poterant* [ut ad fœminam ascenderet] כי מטא לגלגא דרגא אפשח *Cum ad medium graduum jam ascenderat, pedes suos dilatavit* [& fixus stetit cum pravo isto affectu colluctans ut eum vinceret] רמא קלא נורא בי עמרם *Atque elata voce exclamavit incendium* [apud nos Anglos *Fire Fire*] *in domo Amrami.* [Gloss. Hoc fecit ideo ut concurrentibus eò vicinis, à cæpto suo, atque ab isto affectu desisteret præ pudore.] *Concurrunt ad eum Rabbini, &* [nihil incendii aut flammæ videntes] *probro nos affeciisti aiunt. Quibus ille. Præstat ut probro afficiamini in domo Amrami in hoc mundo quàm ut probro à me afficiamini in mundo futuro. Adjuravit ille pravum istum affectum ut ex se exiret, atque ex eo is exiit sicut columna ignis: cui ille. Tu es ignis, & ego caro, nihilominùs tamen ego in te prævalui.*

VER. 10. οὐκ ἐγὼ ἀλλ' ὁ κύριος.

Atque è converso ver. 12. Ἐγὼ λέγω οὐχ' ὁ κύριος.

I. Perpende primùm distinctionem istam in scholis usitatissimam, inter קרא & סברא

Bava Bathr. fol. 8. 2. *Mors per gladium pejor est quam mors per pestem:* איבעית אימא קרא איבעית אימא סברא: *Si vis proferam textum scripturæ* [ad hoc probandum] *Si vis*

proferam rationem, vel opinionem meam. Si vis proferam opinionem. Illa abominabilem reddit, at non hæc. Si vis proferam ſcripturam. Pretioſa in oculis Domini eſt mors [peſtis] ſanctorum ſuorum.

Fames eſt pejor gladio. איבעית אים סברא *Si vis proferam opinionem. Fames diu affligit, gladius non.* איבע א קרא *Si vis proferam ſcripturam. Melius eſt morientibus á gladio quam à fame.*

Zevachin fol. 2. 1. *Holocauſtum quod mactatur non ſub notione propriâ, ſanguis ejus non eſt ſpargendus ſub notione non propria.* איבעית אימא סברא איבעית אימא קרא *Si vis proferam opinionem* vel rationem meam: *Si vis proferam textum ſcripturæ.* Et plurima hujuſmodi.

II. Et jam confer verba Apoſtoli. *Hæc ego non dico ſed Dominus*: id eſt, Hæc non eſt nuda ſententia mea, Sed ſic dicit ſcriptura. Atque è converſo *Hæc ego dico, non dominus*: id eſt, Hæc eſt ſententia mea, quamvis non adſit textus aliquis ſcripturæ, qui ſic dicit planis verbis. Sic ſeipſum explicat, *cap. 9. 8. Num hæc ego dico, nonne lex?*

Γυναῖκα περιάγειν ἀδελφὴν γυναῖκα.

Nec ſine ratione gravi & de hac re admonet, cum & apud Judæos & apud Gentiles laxa nimium forer opinio de firmitate vinculi conjugalis: & laxior quidem apud Judæos quam Gentiles.

I. cogita primùm apud eos tolerationem מיאונין quam habe ipſorum verbis.

Maimon Geruſh. cap. 11. *Si quis ducat puellulam, eaque poſtea nolit maritum ſuum, repudiare eum poteſt, & ab eo diſcedere, & non opus habet libello repudii.*

Hinc hæc formula נוסח מיאון *Libelli hujus repudii, ſi requireretur.*

Die

Die hebdomadis N. Mensis N. Anni N. Repudiavit N. filia N. coram nobis & dixit. Mater mea aut fratres mei, me deceperunt atque conjugarunt, aut desponsarunt, cum puellula forem יו *N. filio N. Ast ego nunc animum meum patefacio coram vobis, quòd eum nolo, &c.*

II. Erat & apud eos dissessio ex mutuo consensu.

Berish. Rabb. sect. 17. *vir bonus habuit uxorem bonam: ast ideo quod non haberent liberos* גרשו זה את זה *Mutuo se dimiserunt. Duxit vir iste bonus uxorem malam, atque ea illum reddidit malum. Nupsit fœmina ista bona marito malo, atque ea illum reddidit bonum.*

Eandem licentiam attribuunt etiam Ethnicis.

Id. sect. 18. *R. Jochanan dicit, Filii Noachi non habent divortia, at* גרשו זה את זה *mutuo se dimittunt.*

III. Ut omittamus discessionem uxoris à marito ob causas libidinosas, ut discessit *Herodias* à *Philippo* conjuganda *Herodi*, & *Drusilla* ab *Azizo*, & nupsit *Felici*. *Josep. Antiq.* lib. 20. cap. 5. Potuit uxor perversa cogere maritum ut eam dimitteret.

Maimon in אישות cap. 14. *Uxor quæ refugit concubitum mariti, vocatur* מורדת *Rebellis: Et quærunt ab ea quare ea adeo rebellis, si respondeat: Ego eum sperno, & non possum concubitum ejus perpeti, cogunt eum illam dimittere pro tempore.* Imo *Berish. Rabba* ubi novissime. *R. Jochanan dicit, uxor potest maritum dimittere.*

Discessiones ergo istas omnino prohibet Apostolus: & cum *ver.* 11. dicit Ἐὰν δὲ χωρισθῇ, eas non tam tolerat quam eventuras supponit & contra omnes quidem cavet quantum fieri potest, regulis subsequentibus, *Maneat cœlebs, aut viro reconciliator.*

VER. 11. Τῷ ἀνδρὶ καταλλαγήτω.

Confer. *Deut.* 24. 4. Nam hic non diſſolvitur vinculum quod illic factum.

Jevamoth. fol. 90. 2. בטלו מבוטל *Evacuat, Evacuatur: verba ſunt Rabbi.* [Gloſs: Mittit maritus libellum divortii uxori: Si aut ipſe poſtea accedit ad uxorem, aut ad eam nuntium mittit, dicendo, Libellus divortii quàm ad te miſi, nullus ſit, nullus eſt.] *Traditio. Olim conſeſſum coegit alio in loco, qui evacuaret libellum, & rem uxori non fecit notam. Statuit Gamaliel ſenior, ne hoc facerent, quippe quod aliquando uxor retractationem libelli ignorans, nubit alteri, & ſic filios habet ſpurios.*

En tibi καταλλαγὴν etiam poſt divortium [at de divortio non loquitur Apoſtolus hoc in loco] & tamen praxi ſua oſtenderunt Judæi ſe opinari ſolutum eſſe vinculum matrimoniale per quodvis divortium, nam admiſerunt ſecundas nuptias.

VER. 14. Τὰ τέκνα ὑμῶν ναῦ ἅγιά ἐστιν.

Ἀκάθαρτα & Ἅγια non illegitimationem & legitimationem denotant ſed Ethniciſmum, & Chriſtianiſmum. Eſt quidem hæc traditio apud Judæos.

Maimon Iſſurei Biah. cap. 12. *Filius ex conjugio illegitimo* [id eſt illegitimo propter conſanguinitatem] *eſt filius viri quoad omnia, & reputandus eſt pro Iſraelita quamvis ſit nothus* יבן מן הנויה אינו בנו *At filius Ethnicâ genitus, non eſt ejus filius.* Ubi Gloſs: *Non vocatur filius viri ſed filius fœminæ.*

At non in hoc cardine vertitur præſens diſſertatio Apoſtoli, an ſcilicet filius ex parentibus, quorum unus erat Chriſtianus, alter Ethnicus, ſit legitima proles, ſed an Chriſtiana proles.

Nam ſatis notum eſt vocem קרושים Ἅγιοι frequentiſſimè ſumi pro profitentibus Chriſtianiſmum, & ſic occurrit vox קרושה apud Talmudicos pari ſenſu.

Jevamoth

Jevamoth. fol. 42. 1. *Vir & uxor proſelyti facti, per nonaginta dies à ſe invicem ſeparantur, ut dijudicari poſsit* בין זרע נזרע בקדושה לזרע שלא נזרע בקדושה *Inter prolem genitam in ſanctitate, & prolem genitam extra ſanctitatem.*

Chetubb. fol. 44. 1. *Proſelytiſſæ quacum proſelytiſſa etiam facta eſt filia ſua, ſi mactetur filia iſta* [poſt deſponſationem] *ſtrangulanda eſt.* היתה הורתה שלא בקדושה ולידתה בקדושה *At ſi eam concepit extra ſanctitatem, peperit autem in ſanctitate, tum lapidanda eſt.*

Maimon: Iſſurei Biah. cap. 15. *Proſelytiſſa quæ nupta eſt proſelyto filiumque generant* אפיל הורתו ולידתו בקדושה *quamvis & conceptio ejus & partus ejus ſint in ſanctitate, tamen permiſſum eſt ei ducere ſpuriam.*

Vides primo aſpectu quid ſibi velit Phraſiologia *in ſanctitate.* Proles genita extra ſanctitatem erat proles genita dum parentes adhuc forent Ethnici. *Intra ſanctitatem* cum jam facti eſſent proſelyti.

Eodem ſenſu Apoſtolus. Liberi veſtri geniti ſunt in ſanctitate id eſt intra Chriſtianiſmum, ſi vel pater vel mater ſit Chriſtianus. Atque ipſi liberi ſunt *ſancti*, id eſt Chriſtiani.

Ethnici à Judæis reputabantur pro immundis, adeoque quidem immundis ut non poſſent immunditiam contrahere, imò non à re immundiſſima, ſepulchro. *Hieroſ. Peſachin.* fol. 36. 2. Hinc τέκνα Ethnica erant iis Ἀκάθαρτα, & Judæorum Ἅγια. Ad quem ſenſum genti notiſſimum alludit Apoſtolus hiſce verbis.

VER. 18. Μὴ ἐπισπάσθω.

Talmudicis אל ימשך ערלהו

Beriſh Rabb. fol. 46. *Circumciſio quater aut quinquies iteretur, ſi quiſpiam ſit toties* משוך Ἐπισπασθείς.

Hieroſ.

Hieroſ. Jevamoth. fol. 9. 1. *Multi erant in diebus Ben Cozbæ,* שמשכו ערלתם *qui retraxerant præputium, qui iterum circumcidebantur.*

R Niſſim in Jevamoth. fol. 428. 2. תניא משוך צריך למול *Traditio. Is qui retracti eſt præputii, eſt iterum circumcidendus. Interpretatio vocis* משוך [ἐπισπασθείς] *hæc eſt, ſi poſtquam circumciſus fuerat, retrahitur præputium, vel per homines, vel per aliquam ægritudinem. Multi fuerunt in diebus Ben Cozbæ, qui circumciſi fuerant* שמשכום באונס *quorum præputium per vim retraxerant in civitate Betar. At prævaluit Ben Cazba, & regnavit annos duos & dimidium. Atque illi ſunt iterum circumciſi in diebus ejus.*

VER. 19. Ἡ περιτομὴ οὐδέν ἐστι.

Inter plura quæ hic dici poſſent, duo tantum obſervabimus, unum ex ipſa praxi Judæorum, alterum de præcipuo fine circumciſionis.

I. Miraberis forſan ô lector audiens nonnullos Judæos ſemper inceſſiſſe præputiatos, imò nonnullos ſacerdotes non circumciſos, miniſtraſſe ad altare, idque abſque cujuſvis querela, & quidem ſine ſuâ culpâ. At hoc fatentur ipſi patres traditionum.

Occurrit frequentiſſimè apud Talmudicos mentio ישראל ערל *Iſraelitæ præputiati* & כהן ערל *Sacerdotis præputiati.*

Hieroſ. Peſachin fol. 36. 2. *R. Jochanan nomine R. Benaiæ dicit, Aſpergunt* על ישראל ערל *ſuper Iſraelitam præputiatum.*

Zevachin. cap. 2 hal. 1. *Omnia ſacrificia quorum ſanguis excipitur ab alieno, lugente* ערל *Sacerdote præputiato, &c. non approbantur. R. Simeon dicit Approbantur.*

Hieroſ. ubi ante *R. Lazar nomine. R. Hanina dicit, Hiſtoria eſt*

est כבחן ערל *de Sacerdote præputiato, qui sanguinem sparsit ad altare, atque approbatæ fuerunt sparsiones ejus.*

Glos in *Zevachim. Sacerdos præputiatus est sacerdos, cujus fratres mortui sunt ex circumcisione.*

Aruch ex *Cholin. Israelita præputiatus est, cujus fratres mortui sunt ex circumcisione: & tamen is est Israelita,* quamvis præputiatus. *Astricti enim non sunt Israelitæ ad præcepta præstanda ubi mors certò insequetur: Nam dicitur, leges quas si observaverit homo, vivet in iis, non ut moriatur in iis.*

Hinc si filius primus, secundus, tertius, morerentur ex circumcisione, postea nati non circumcidebantur, sed semper erant præputiati & tamen Israelitæ quoad omnia, sacerdotes quoad omnia.

Hieros. Jevam. fol. 7. 4. *R. Nathan dicit Profectus sum Cæsaream Cappadociæ, eratque illic fœmina quæ mares pepererat, qui mortui fuerant ex circumcisione, primus, secundus, tertius: quartum ad me adduxerunt: inspexique ego eum, & non vidi in eo sanguinem fœderis. Monui ut eum permitterent aliquantisper non circumcisum, & permiserunt, &c.*

Dicas mihi jam Judæe an circumcisio *aliquid* fiet, præsertim an tanti fiet, vel ad justificationem, vel ad sanctificationem, quanti tu eam æstimas, cum Israelita potuerit esse verus Israelita, Sacerdos verus Sacerdos, absque circumcisione.

II. *Circumcisio nihil est* ratione habita temporis, jam enim evanuerat, adimpleto præcipue ejus fine ob quem fuerat instituta, Istum finem exhibet Apostolus in verbis istis *Rom.* 4. 11. Σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν ἀκροβυστίᾳ: At vereor, ne à plerisq; versionibus non satis aptentur ad finem circumcisionis, & scopum Apostoli dum ab iis inteseritur aliquid de suo.

Gallica sic. *Seau de la justice de foy le quelle il avoit durant le præpuce.*

Ital. *Segno della giustitia della fede la quale fu uella in circumcisione.*

Syr.

Syr. וחתמא דכאנתא דחימנותה. *Et ſigillum juſtitiæ fidei ſuæ.*

Arab. *Juſtitiæ fidei* אלדי כאן *quæ fuit in præputio.*

Aliæ in eundem ſenſum, ac ſi circumciſio daretur *Abrahamo* in Sigillum juſtitiæ iſtius, quam ille habuit, dum adhuc foret præputiatus: Quod non negabimus aliqualiter verum eſſe, at credimus circumciſionem longe aliò præcipuè reſpexiſſe.

Liceat mihi verba ſic reddere. *Et ſignum accepit circumciſionis ſigillum juſtitiæ fidei quæ futura in præputio.* *Quæ futura* dico, non *quæ fuerat.* Non *quæ fuerat Abrahamo* adhuc præputiato, ſed *quæ futura* ſemini ejus præputiato, id eſt Gentilibus, fidem olim *Abrahami* imitaturis.

Nam adverte bene quâ occaſione inſtituta *Abrahamo* circumciſio, ponens tibi ante oculos hiſtoriam ejus *Gen.* 17.

Fit primò ei hæc promiſſio, *Multarum gentium eris tu pater* [quonam ſenſu explicat Apoſtolus, iſto capite.] & ſubinde ſubjungitur duplex ſigillum rei corroborandæ. Immutatio ſcilicet nominis *Abrami* in *Abrahamũ*, & inſtitutio circumciſionis, *ver.* 4. *Ecce mihi tecum eſt fœdus, eris tu pater multarum gentium.* Quare vocatum eſt nomen ejus *Abrahamus?* In ſigillationem hujus promiſſionis, *Tu pater eris multarum gentium.* Et quare inſtituta ei Circumciſio? In ſigillationem ejusdem promiſſionis. *Tu pater eris multarum gentium.* Ita ut hic ſit ſenſus Apoſtoli, inſtitutioni circumciſionis congruentiſſimus. Accepit ſignum circumciſionis ſigillum juſtitiæ fidei quam olim erat Incircumciſio [vel Gentiles] habitura & adeptura.

Duplex ſemen erat *Abrahamo*; Naturale, Judæorum, & Fidele, Gentilium credentium: Signatur Naturale, ſigno circumciſionis: primo quidem in ſui diſtinctionem, ab omnibus aliis gentibus, dum eæ non adhuc forent ſemen *Abrahami*; At præcipue, in memoriam juſtificationis gentium per fidem, cum tandem forent ejus ſemen. Ceſſatura ergo meritò erat circumciſio, cum introducerentur Gentiles ad fidem,

quippe

quippe quod tunc finem suum ultimum ac præcipuum obtinuerat, & exinde ἡ σφραγὶς ἐστίν.

VER. 23. Μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων.

Quæro, an dicat hæc Apostolus directè & ex sensu suo, an per modum objectionis, cui respondet commate sequenti. De seipsis sic objicere soliti erant Judæi ob libertatem per redemptionem ex Ægypto partam, ita ut nullo modo *non liberi* audire tolerarent. *Joan.* 8. 33.

Kiddushin. fol. 22. 2. *Rabban Jochanan ben Zaccai dixit, Dicit Dominus benedictus, Auris quæ audiit vocem meam super montem Sinai quo tempore dixi, Nam mihi sunt servi filii Israelis, & non servi servorum, proficiscitur autem & acquirit sibi Dominum, perforator.*

Forte eodem tumore laborabant recentes hi Christiani, qui sorte servili erant, non adhuc de vero sensu libertatis Evangelicæ eruditi. Aut scrupulus iis hæsit, an licitum Christiano servire Ethnico, Atheo, Idololatræ, &c. Quales moventur quæstiones à magistris. *An vendendus Israelita in servum Ethnico: An servus Israelita eâdem servitute premendus, qua Canaanæus.*

Si directe loquatur Apostolus, non de servis speciatim sermonem habet, sed de universis Christianis. Et longe ab eo abest relationem inter Dominos & servos tollere: sed Christianos omnes monet, ne pravis hominum libidinibus & voluntatibus inserviant, sed illi qui eos pretio redemit.

VER. 26. Διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην.

Et mox, *ver.* 29. Ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστὶ τὸ λοιπόν ἐστι.

Scitati sunt Apostolum *Corinthii* per epistolam in causa matrimonii, ut videtur ex ejus responsione.

I. De conjugiis inter fidelem & infidelem continuandis aut non continuandis.

II. De connubiis virginum aut cœlibum.

Jam vero unde iis in hoc posteriori oriretur scrupulus est obscurius. Inter Judæo-Christianos oriri potuit scrupulus an cœlebi liceret abstinere à connubio, quia apud gentem istam, ut observavimus, matrimonium præceperunt ex lege. At si quæstio foret, an liceret virgini aut cœlibi matrimonium contrahere [nam respondet Apostolus οὐχ ἁμαρτες, ac si quæreretur potiùs an liceret nubere quam an liceret non nubere] tunc vix conjicias unde oriretur, nisi ἀπ' ἐνεστῶσης ἀνάγκης.

Docet Apostolus noster, prohibuisse quosdam matrimonium. 1 *Tim.* 4. 3. At quonam prætextu? vel sub hoc, quod puritati Evangelii repugnare matrimonium blaterarent, ut *Saturnius* apud *Irenæum lib.* 1. *cap.* 22. vel quod matrimonium fugerent ob impendentes calamitates. *Prohibent matrimonium*, inquit Apostolus, *& jubent abstinere à cibis.*

Audi Gemaristas paululum.

Bava bathra fol. 60. 7. *Ex quo excisum est templum secundum, multiplicati sunt Pharisæi* [separatistæ] *in Israele, qui non ederent carnem nec biberent vinum. Quibus R. Josua. Quare ô filii mei non editis carnem, nec bibitis vinum? Et illi. Num nos carnem edemus de qua soliti sumus offerre in altari, & jam periit? Et vinum bibemus de quo libare soliti sumus super altare & jam desiit?-- Cum dominaretur imperium impium Israeli, decerneretque contra eos aspera cessareque ab iis faceret legem & præceptum, nec eos permitteret circumcidere filios, dixerunt R Josua, Æquum est ut statuamus apud nos, ut non contrahamus matrimonium nec generemus filios, &c.*

En tibi paratos & juratos fere in perpetuam abstinentiam à matrimonio ob calamitates: suspicor & à pari causa hæsitasse nonnullos Christianos temporibus Apostolorum. Prædixerat salvator asperrima futura ista tempora quæ antecessura erant excidium

excidium Hierosolymitanum, *Mat.* 24. idque non intra limites Judææ tantum, Sed *Judicium exorsurum à templo Dei* ubivis terrarum, 1 *Pet.* 4. 17. & *Diem tentationis venturum super universum orbem*, Apoc. 3. 20. Ita ut prædictione ista ecclesiis notâ, & temporibus in istas calamitates jam nutantibus, non mirum est, si solicitudo & anxietas de talibus angustiis invaderet Christianos, & plurimos cœlibes terreret à matrimonio.

CAP. VIII.

VER. 1. Οἴδαμεν ὅτι πάντες γνῶσιν ἔχομεν.

ΓΝῶσις de quâ hîc Apostolus, est notitia libertatis Evangelicæ: at verba hæc *Ironicè* proferuntur, ac si dixisset, Concluditur ab omnibus, se satis scire libertatem istam Evangelicam, atque inde prorumpunt nonnulli in res quæ non conveniunt. Notitia ista inflat, audaces reddit, conscientias aliorum negligit, & qui hoc sensu aliquid nosse sibi videtur nondum quicquam novit sicut oportet nosse.

VER. 4. οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ.

Scimus quod nullum Idolum est in mundo: Id est Representatio Dei. Εἴδωλον, ut docent Lexicographi, est Ὁμοίωμα, εἰκὼν σημεῖον, χαράκτηρισμα, σκιοειδὲς. Idola quidem sunt in mundo, lignea saxea aurea argentea, *&c.* at οὐδὲν εἴδωλον, nulla est, nulla fieri potest repræsentatio, aut figura dei. Induit Apostolus adhuc, ut ego quidem arbitror, personam eorum qui nihil scrupuli posuerunt in comedendis Idolothytis: Ac si dixisset, vos dicitis Novimus quod nulla repræsentatio Dei est in mundo, & est tantum Deus unus, *&c.* Sculptilia ergo & varia ista Idola, mera sunt figmenta humani erroris, & victimas iis offerre est merum

commentum hominum: Nihil in iis ſacri, aut religionis, quia nihil in iis repreſentationis Dei. Nos ergo ſub Evangelica libertate à comedendis iſtis carnibus abſtinebimus, quas ſtultitia tantum humana à communi uſu alienavit? & truncis & ſtipitibus obtulit, quæ nihil Dei in ſe habent, ſed creantur tantùm ab eâdem ſtultitia humana. Vera quidem quæ dicitis, ſed malè applicata, atque *omnes hanc ſcientiam non habent*. Aut ſi reddas, *Idolum nihil eſt in mundo*, ſenſus redit eôdem.

VER. 10. Ἐν εἰδωλείῳ κατακείμενον.

Confer iſta Talmudiſtarum.

Sanhedr. fol. 61. 2. העובר עז מאהבה ומיראה *Qui adorat idolum amore aut timore, Rabba dicit immunis eſt: Abai dicit, reus eſt. Abai dicit reus eſt, quia colit illud. Rabba dicit immunis eſt:* אי קבליה עליה באלוה אין *Si concipiat illud pro Deo ita eſt, reus eſt* אי לא לא *Si non, non.*

Et Paulo poſt. *Si ſupponat Idoleum eſſe Synagogam, & adorat Idolum* הרי לבו לשמים *Ecce cor ejus eſt erga Deum.* אלא הוא אנדרשא : *At ſi videat ſtatuam, & adorat eam, ſi pro Deo eam concipiat reus eſt* מזיר *ut præſumptuosè agens. At ſi non concipiat eam pro Deo,* לא כלום הוא *Nihil eſt omnino.*

Gloſs: *Ecce cor ejus eſt erga Deum: Etiamſi noverit quòd domus iſta eſt Idoleum, atque ipſe in eo adorat Deum, nullum eſt crimen, &c.*

Si videat ſtatuam, qualem erigere ſolent pro effigie regis, & adorat eam, non ſub notione Idoli ſed in honorem regis, nihil eſt.

Hieronymus à ſancta fide, Periocham hanc Talmudicam citat *lib.* 2. contra Judæos *cap.* 2. his verbis. *Dicunt in libro Sanhedrin, ſi quis adoraverit Idolum amore vel timore immunis eſt:* & *gloſſat* Rabbi Solomon. *Amore intelligitur, ut ſi aliquis Domi-*

nus

nus rogaverit servum ut ejus amore adoret: timore, ut si minatus ei fuerit nisi fecerit. Attamen R. Moses *de Ægypto glossat aliter, dicens, quod amore intelligitur, ut si fuerit philocaptus à pulchritudine imaginis illius Idoli: Timore vero, ut si timuerit, ne Idolum noceat ei, ut servitores ejus opinantur quòd potest prodesse vel obesse, & quod si in tali casu adorat, immunis est.*

Egregiam vero scholam & doctrinam. Ut alia omittamus, adverte istud quod & apud hos Corinthios valuit, אם לא בליה עלוה אלוה *Si non idolum agnoscat sub notione Dei nihil est: Idolum nihil est*, dixerunt & hi, ergo in Idoleo versari, Idolytha comedere, nihil est, nam ego nihil Deitatis agnosco in Idolo, novi lignum esse aut lapidem, &c. At vero inquit Apostolus, 1. utcunque Idolum ipsum sit lignum & lapis, ea tamen quæ ei offeruntur, offeruntur dæmonibus, *cap.* 10. 20. Atque 2. utcunque tu tibi videris adeo sapere, ut de Idolo judices ut de re nihili, in omnibus tamen non est adeo accuratum judicium: & tu exemplo tuo alios animas ut Idolothyta comedant, etiam sub notione Idolothytorum.

VER. 11. Δι' ὃν Χριστὸς ἀπέθανεν.

Ipsissimo eodem argumento medioque utitur, *Rom.* 14. 15. Verbaque ejus, qualitatem personæ respiciunt, potiùs quam personam ipsam, nudè consideratam. Ac si dixisset, pro conscientiis infirmis, & trementibus ad verbum Dei, pro pressis & gementibus sub jugo & gravamine legis, pro sudantibus & anhelantibus in viis Domini, ut fidem retineant & bonam conscientiam; pro talibus mortuus est Christus, & tu talem cibo tuo perdes? Mortuus est ille, ut juga ista solveret, & conscientias ponderibus istis depressas levaret, & tu tales cibo tuo perdes.

CHAP.

CAP. IX.

VER. 1. οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος;

VAriant hîc interpretes nonnulli in verſionibus ſuis ordinem Clauſularum, & legunt οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; & ſubinde οὐκ εἰμὶ Ἀπόστολος; Hinc abſque dubio moti, quòd majus ſit eſſe Apoſtolum quam eſſe liberum, & verum ordinem ſe ſervaſſe ſunt opinati, ſi à gradu inferiori procederetur ad ſuperiorem. At animadvertendum iis fuerat, Paulum non nudè hîc agere de libertate Chriſtiana, ſed libertate Apoſtolica: quod & patet ſatis *ver.* 5. Nec accuratiori uti potuit ille methodo ad rem ſuam, quam Apoſtolum ſe primùm aſtruendo, & exinde libertatem ſuam Apoſtolicam.

Acturus eſt de libertate vel licentia ſua, alimoniam efflagitandi, ſibi uxorique, & familiæ, ſi adeſſent modò, ob miniſtrationem ſuam in Evangelio inter Ethnicos, quod fecerunt *Petrus* & reliqui Apoſtoli inter Judæos. Statutum olim erat à Juriſtis Judæorum, Decimas à Gentilibus non exigendas accipiendaſque: alimoniam ab Ethnicis non efflagitandam, & ne Judæus ſe Ethnico quoquam modo devinctum ſummitteret. Quod & eo magis apud eos invaluit, quod de hiſce rebus non fuerit in lege aliqua permiſſio, vel ſaltem quod de iis foret in lege altum ſilentium. Litem hæc ei non ciere non potuerunt, de alimonia ſua inter Ethnicos dum iis Evangelizaret.

Eo igitur confugit Apoſtolus noſter miniſter præputii, ut ab Apoſtolica ſua poteſtate ſe defenderet apud eos qui de hac re ei litem moverant, *ver.* 3. Detur ſtatutum fuiſſe per leges traditionales, de non recipienda alimonia ab Ethnicis, imò daretur, ſic ſtatutum à lege *Moſaica*, at ego Apoſtolus, ego liber ab iſtiuſmodi legibus, imo penes me eſt poteſtas, Ethnicis converſis pro lege inſtituendi, ut prædicantes Evangelium ſuſtententur ex Evangelio.

VER.

οὐχὶ Ἰησοῦν Χριστὸν ἑώρακα;

Bis vidit *Paulus* Dominum. I. In itinere suo ad *Damascum*, cum designaretur in Apostolum. II. In extasi *Hierosolymis*, cum designaretur in Apostolum Gentium, *Act.* 22. 21. Solus ille inter Apostolos Dominum vidit post ascensionem.

VER. 3. Ἡ ἐμὴ ἀπολογία, &c,

Apologia ipsa sequitur, *Annon licet nobis*, &c. Usque ad *ver.* 15. necessitas apologiæ erat, quod incusaretur à quibusdam de accipiendo victu ab ecclesiis ethnicis, ob suam Evangelizationem: vel torvo vultu observaretur à cavillatoribus, reciperet, nec ne. Hinc applicatio ejus ad opus mechanicum, quo sustentetur & victum acquirat. Non quòd non liceret alimoniam à Gentilibus exigere, sed quod nollet, ut os Judæorum contralatrantium obturaret. Inde verba ista, *ver.* 19. 20. *Liber ego ab omnibus, & tamen omnium factus sum servus; Judæis ut Judæus, &c.* Conf. III. Johan. ver. 7. *Nihil acceperunt à Gentilibus.*

VER. 13. Οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ παρεδρεύοντες.

Distinguit inter ἱερὰ ἐργαζόμενοι, & παρεδρεύοντες τῷ θυσιαστηρίῳ; nam erant qui sacris operarentur, præter eos qui deservierunt ad altare: de quibus vide *Shebalim. cap.* 5. Inter alios fuerunt המתולעים את העצים *Ii qui evermicularunt ligna* apponenda altari: qui labe aliqua tacti & infecti, non idonei fuerunt ut ministrarent ad altare, at huic muneri sunt deputati, & nutriti ex sacratis. *Middoloth* cap. 2. hal. 3.

Παρεδρεύοντες τῷ θυσιαστηρίῳ *Assidentes altari*, non proprio & strictissimo sensu, nam nemini licuit intra atrium sedere nisi regi

gi soli, *Joma* fol. 69. 2. Sed *obsidentes altare*, atque undique circa illud fusi in ejus ministerium. Hi in ejus decinerationem, illi mactantes, isti sanguinem spargentes, isti frusta victimarum in altari disponentes, &c. De quibus vide *Talmid.* cap. 3. hal. 1, &c.

Denotat etiam προσδρεύω *Insidiari*, quod & applicari potest ad æmulam istam sedulitatem qua altari quasi insidiati sunt olim contendentes quisnam primus illud ascenderit cineres amoturus, & focum dispositurus, &c. de qua re hæc referuntur in *Joma* fol. 22. 1. *Olim quicunque voluit altare decinerare* [mane] *decineravit: Cum vero multi in rem istam contenderent, cucurrerunt & ascenderunt per* כבש *ascensum altaris, &c. Erat aliquando cum duo æquo cursu contenderent, & ascenderent per ascensum altaris, & unus alterum impelleret, ita ut caderet & confringeretur crus ejus, &c.*

VER. 21. Τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος.

Distinxit ut videtur commate præcedenti inter *Judæos* & eos *qui sub lege* quod de Judæis in genere, & de Pharisæis in specie intelligi potest, quippe quod Pharisæi, sese magis legi subjicere videbantur, quam gens reliqua. At per ἄνομος an Sadducæos velit, qui legibus Pharisæorũ omnino contrariabantur, an Ethnicos, quære. Quomodo se conformem Ethnicis præbere potuerit, non facile est judicare, Judæis, Pharisæis, Sadduducæis in aliquibus conformari potuit absque scandalo, ut eos lucraretur: hoc solùm de Sadducæis intellecto, quod in ritibus conformitas est intelligenda, non in hæresi circa resurrectionem.

VER. 27. Μήπως ἀδόκιμοι γένωμαι.

Ἀδόκιμος bene reddere potest vocem פסול magistris usitatissimam, præsertim vero ut ea opponitur voci כשר: Nam כשר

כשר δόκιμον denotavit, rem nempe vel personam approbatam, idoneam: פסול è contrario, Ἀδόκιμον, Non probatam, non idoneam.

CAP. X.

VER. 2. Καὶ πάντες εἰς τὸν Μωυσῆν ἐβαπτίζοντο.

CIrcumcisi jam recèns fuerant ante exitum ex *Ægypto*. Nam cum in eos causetur Deus per Prophetam, quod mores Ægyptiorum atque eorum Idola colerent *Ezec.* 20. 7. 8. plusquam probabile est, eos circumcisionem, ut & alia Dei instituta neglexisse, & sese conformes Ægyptiis in omnibus eorum irreligiosis ritibus exhibuisse. Unde & peculiari præcepto cavit Deus, cum institueret Pascha, ut ante ejus comestionem unusquisque circumcideretur, *Exod.* 12. 48. Quod & præstitum fuisse liquet ex *Jos.* 5. 5. *Omnes exeuntes ex Ægypto circumcidebantur.*

Circumcisioni additur Baptismus in nube & mari, & posterius sigillum non tulit prius, sed superinduxit novam obligationem: Non circumcidebantur in *Mosen*, sed baptizabantur in *Mosen*. Fatentur ipsi Judæi, baptizatos eos fuisse ad montem *Sinai*, ex verbis istis, *Exod.* 19. 10. at altiùs rem repetit Apostolus, ut typos Sacramentorum Evangelicorum ostendat & divinos fuisse, atque etiam miraculosos.

VER. 4. Ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας.

Non quod ipsa rupes in *Horeb* eos sit insecuta, sed quod rivi aquarum fluentiũ è rupe eos insequerentur, atq; in stagna sunt collecti ubicunque illi sunt castrametati. Hinc Schema illud Rhetoricum Prophetis usitatissimum *Dabo in cremo stagna aquarum*, cum de irrigatione Gentium per Evangelium, & Spiritum est sermo.

R. Sol. in Num. 20. 2. *Per omnes quadraginta annos, erat iis puteus.*

Targ. Jonath. de puteo altero, *Num.* 21. 19. *Ex quo datus eſt illis puteus in Mattanah, iterum factus eſt illis in torrentes inundantes vehementes, iterumque aſcendebat in cacumina montium, & deſcendebat cum illis in valles,* &c.

VER. 8. Εἰκοσιτρεῖς χιλιάδες.

At Numer xxv. eſt, *Viginti quatuor millia.*

Hieroſ. Setah. fol. 21. 4. *Viginti quatuor mille iſti qui perierunt ob Baal Peorem,* &c.

Bab. Sanhedr. fol. 106. 1. *Venit Bileamus ut mercedem reportaret de viginti quatuor millibus qui perierant.*

Unde ergo Paulo, *Viginti tres mille tantum?*

Ut illud omittamus, quod non inuſitatum eſt ſacris paginis, cùm eadem hiſtoria recitatur duobus in locis, aliquid diverſi introducere in enumeratione, vel rerum vel hominum vel annorum, idque non ſine ſumma ratione, ut *Confer.* 2 *Reg.* 8. 26. cum 2 *Paral.* 22. 2. Et 2 *Reg.* 24. 8. cum 2 *Paral.* 36. 9. & plurima iſtiuſmodi.

Videamus quid de hac hiſtoria Talmudiſtæ.

De ea agunt *Sanhedr.* fol. 35. 1. & fol. 64. 1. & fol. 82. 2. & fol. 106. 1. alibique in hunc ſenſum.

In verba iſta Dei ad *Moſen* קח את כל ראשי העם *Accipe omnia capita populi & ſuſpende eos coram ſole,* Sic commentantur, *Accipe omnes primates populi, atque eos conſtitue judices, ut judicent & occidant omnes qui tranſgreſsi ſunt cum Baal Peore-- Si populus peccavit capita populi quid peccarunt? Dicit Rabh Judah, Dicit Rabh, Dixit Deus Moſi, Divide illis conſeſſus tribunales? Quare? Quia non judicant duos uno die.*

Jam carpe *Paulum* ô Judæe ſi lubet, & habet ille etiam à tuis quod reſpondeat.

I. Non dicit ille quod viginti tres mille omnes fuerint, qui ceci-

ceciderunt in cauſa *Baal Peoris*, ſed dicit quòd viginti tres mille ceciderunt *uno die*.

II. Patet ſatis, Deum duplici uſum fuiſſe vindictâ in peccantes, per judices ſcilicet, & per peſtem.

III. Jam vero dicunt tui, quod *non licet uni confeſſui duos judicare uno die*: vel detur [quod etiam à tuis conceditur] quod licet duos judicare & occidere, modo ſit eodem genere mortis: quotnam quæſo erecti ſunt confeſſus? vel quotnam dies inſumpti in occidendis mille hominibus ſub iſta cautione, *Unus confeſſus unum tantum occidito aut ad ſummum duos uno die*.

Loquitur ergo Apoſtolus noſter cum vulgo: & non definite viginti tria millia ad unum, ſed viginti tria millia ad minimum periiſſe dicit, cum ſecundùm vulgarem iſtum canonem, vix credibile ſit mille homines à confeſſibus interfectos, uno confeſſu unum tantum aut duos ad ſummum, unius diei ſpatio.

Levitæ numerati illico à plaga *Baal-Peorica*, exacto calculo tot fuerunt, quot hic numerat Apoſtolus. *Numer.* 26. 62. Sic periit die uno numerus æqualis toti tribui *Levitica*.

VER. 10. ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ.

Malos Angelos Judæi vocant מלאכי חבלה *Angelos* ὀλοθρευτὰς: bonos מלאכי שרת *Angelos* λειτουργικούς. At quæro ego an Apoſtolus hoc ſenſu loquatur hoc loco. Nam ubinam comperire eſt populum ab Angelo malo perditum & occiſum? Periit quidem peſte, idque in plagâ ob *Baal Peorem* de qua Apoſtolus ante, at hîc diſtinguit ab iſto genere mortis, perditionem eorum *per diſperditorem*. Alludi itaque mihi videtur ab Apoſtolo, ad notionem Judæis uſitatiſſimam de *Angelo mortis*, Perditore magno, *Samael* ab iis dicto, de quo inter plurima quæ referuntur, nos hoc tantum adducamus.

Bava Mezia fol. 36. 2. Proponitur quæſtio, de vacca tradita cuſtodi, mercede conducto, ut eam providè & fideliter ſervet. Erat ea in paludem atque ibi moritur כדרכה more uſi-

tato: id eſt morte non violentâ, quæritur quouſque cuſtos ſit damnas. Et determinatur, quod ſi periiſſet à lupis devorata, vel à furibus abacta & cæſa, reus tum foret cuſtos ob negligentiam: At hoc inquiunt erat opus מלאך המות *Angeli mortis.* Nam inquiunt שבקה מלאך המות בביתי גננא הוה קיימא *Si Angelus mortis eam ſiviſſet, vixiſſet ea etiam in domo furis.* Et Gloſs: מלאך המות נמי בבית השוכר קטיל לה *Angelus mortis potuit eam interficere etiam in domo ejus qui cuſtodem conduxit.*

Vides ut *Angelo mortis* aſcribant, cum non conſtat de causâ aliquâ violentâ notâ & ordinaria, & evidenti genere mortis: Sic Apoſtolus hoc in loco notos & evidentes mortis modos memorat, ſerpentes peſtem, *ver.* 8. 9. & jam loquitur de communi genere mortis [& non de evidenti aliqua plaga] quo periit tota turba murmurantium *Num.* 14. intra annos quadraginta. Periiſſe eos dicit ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ, à magno iſto diſperditore, *Angelo mortis.*

Ver. 11. Εἰς τὰ τέλη τῶν αἰώνων, &c.

Dicit τὰ τέλη τῶν αἰώνων, non τὰ τέλη τοῦ κόσμου.

Αἰὼν ſcripturæ eſt vulgatiſſimè, ſæculum Judaicum. Quo ſenſu Circumciſio, Paſcha rituſque alii Moſaici dicuntur eſſe לעולם Εἰς αἰῶνα. Sit Diſcipuli *Mat.* 24. 3. quærunt à Chriſto περὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, atque reſpondet ille de excidio Hieroſolymitano. Eodem ſenſu redderem ego verba Apoſtoli. *Tit.* 1. 1. *Ad ſpem vitæ æternæ, quam promiſit Deus* πρὸ χρόνων αἰωνίων. *Ante tempora ſæculorum* Judaicorum: i.e. Deus promiſit vitam æternam, ante *Oeconomiam Moſaicam*, ea ergo non expectanda ex operibus legis Moſaicæ.

Sic ergo Apoſtolus hoc in loco. Hæc quæ tranſacta ſunt in initio ſæculorum Judaicorum, in exemplum vobis ſcripta ſunt in quos devenerunt fines iſtorum ſæculorum. Et par initium fi-

ni,

ni, & finis initio. Utrumq; quadraginta annorum, utrumq; tentationis & incredulitatis, atque utrumque deſinens in excidio incredulorum. Illud in exitio pereuntium in eremo, hic in exitio incredulorum in excidio urbis & gentis.

VER. 16. Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας.

כוס הברכה Sic vocabatur poculum illud in Paſchate, ſuper quod actæ ſunt gratiæ poſt cibum: & in quo ſalvator inſtituit poculum Euchariſticum de qua re fusè diximus ad *Mat.* 26. 27. Cum ergo Apoſtolus poculum cœnæ Dominicæ eodem nomine inſigniat quo Judæi ſuum, & ad primam ejus inſtitutionem recurrit, & continuatam ſuper illud eſſe à Chriſtianis gratiarum actionem innuit, licet alia jam ſub notione.

Sic procedit ejus argumentatio. Sicut nos in comeſtione panis & potatione poculi Euchariſtici communicamus de corpore & ſanguine Chriſti, ita in comeſtione Idolothytorum communicatur de & cum Idolo. Vos communicatis de ſanguine Chriſti, ergo fugite ab Idolatria. Sapientibus loquor, vos judicate de argumento. Nam obſignat vos ipſa participatio Euchariſtiæ contra Idololatriam, & Idolothyta.

Οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν.

Modus argumentationis, *Omnes nos ſumus unum corpus, quia participamus de uno pane*, in mentem revocat illud quod apud Judæos vocabatur עירוב *commixtio*, vel κοινωνία. Cujus modum & ſenſum diſce ex

Maimon: in עירובין cap. 1. *Ex verbis Scribarum* inquit, *prohibitum eſt vicinis incedere* [Sabbato] ברשות היחיד *in loco uni appropriato, ubi eſt diviſio in habitationes, niſi omnes vicini veſpere Sabbati* ערבו κοινωνίαν *ineant--- Statuit ergo* [Solomonem eum hujus traditionis & moris authorem faciunt] *ut quilibet locus uni appropriatus, ibi ubi eſt diviſio in habitationes, &*

recipit

recipit illic quilibet habitantium locum proprium sibi, relinquiturque etiam locus aliquis ibi communis omnibus, ita ut omnes æquum jus in eo habeant, veluti atrium multarum domorum, quod reputatur locus jure omnibus communis: atque unusquisque locus quem quilibet habet sibi proprium, reputatur רשות היחיד *locus proprius: Prohibeturque ne gestet quicquam è loco sibi proprio in locum omnibus communem* [Sabbato scilicet] *sed utatur quilibet loco sibi appropriato solum* עד שיערבו כולן *usque dum omnes ineant Communionem.*

יתערבו ומה הוא העירוב *At quomodo fit ista communio* במאכל אחד *Consociantur in cibo uno, quem parant vespere Sabbati: Quasi dicerent,* כולנו מעורבין ואוכל אחד לכולנו *Omnes nos consociamur, & cibus unus est nobis omnibus: Nec quisquam è nobis proprietatem segregat à vicino, sed sicut jus nobis omnibus æquum est in loco hoc qui relinquitur communis omnibus, sic jus nobis omnibus æquum est in loco quem sibi quisq; recipit pro proprio.*

Et עירוב *Consociatio quam faciunt inter se, habitantes in eodem atrio, vocatur* עירובי חצרות Κοινωνίαι *atriorum: Atque ea quam faciunt inter se habitantes in eadem porticu* aut vestibulo, *aut quam faciunt inter se cives ejusdem civitatis vocatur* שיתוף *Comparticipatio.*

Non consociant in atriis אלא בפת שלימה בלבר *nisi cum tortâ integrâ: Sit licet panis pisturæ totius Seæ, si non sit integer, non ineunt consociationem cum eo. At vero si sit integer, sit licet quantitatis tantum Assarii, consociationem ineunt cum eo.*

Quomodo συνωνίαν *ineunt in atriis?* נובין הלה אחת שלימה *Requirunt ab unaquaque domo quæ in atrio, molam vel panem unum integrum, quem reponunt in vase uno, inque domo aliqua quæ in atrio, sit licet horreum aut stabulum, &c.* Et benedicit quidam è cœtu, & sic omnes una comedunt, *&c.*

Confer hæc cum verbis Apostoli, atque ea argumentationem ejus non illustrant modo, sed & roborant. Si Israelitis usitatum

tatum foret in unum corpus politicum vel œconomicum coalescere per comestionem panum plurium ab hoc & illo & illo simul congestorum, nos multo magis in unum corpus consociamur ex comestione unius ejusdemque panis ab uno salvatore nobis instituto

VER. 19. Τί οὖν φημι;

ומה אני אומר: Scholis usitatissimum: i. e. Hoc ego volo vel concludo. Sitve Idolum aliquid vel non, sitve Idolothytum aliquid vel non, at certe ea quæ gentes Idolis offerunt, offerunt dæmoniis.

VER. 21. τράπεζα κυρίου.

שולחן גבוה: Talmudicis non infrequens, pro *altari*.

VER. 25. Ἐν μακέλλῳ.

De quæstione non admodum ab hac, de qua hîc agit Apostolus, remotâ, agunt Gemaristæ in *Cholin.* fol. 95. 1. quousque nempe licuerit in macello carnem coemere, idque ab ethnico, ubi posset esse suspicio de טריפה discerpta: & adducitur historia de quodam carnem talem dilaceratam coemente ab Ethnico: super quem casum *dicit Rabbi* חבשביל שוטה זה *Num propter stultum hunc, qui fecit quod non decuit* נאסר כל מקולין omnia macella prohibebimus? vide locum si lubet vacatque.

Μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν.

Innumerabilibus ferè scrupulis in conviviis suis vexabantur Judæi quoad rem comedendam, ut & quoad societatem quacum est comestum & modo comedendi. De fructibus & oleribus

mensæ

mensæ appositis, quærendum illis erat, an forent ea rite decimata, an ex *Truma* aut alias sacrata, an profana: an munda aut pollutione atque immunditia aliqua tacta, *&c.* Et de carne apposita, an ea de Idolothytis, de dilaceratis, de suffocatis, aut non secundum normam canonicam mactatis, *&c.* Quæ omnia dubia abolevit libertas Evangelica, quoad conscientiam propriam, proviso hoc, ne scandalum aut offendiculum objiciatur coram conscientia aliena, infirma & nutante.

CAP. XI.

VER. 4. Προσευχόμενος ἢ προφητεύων κατὰ κεφαλῆς ἔχων.

MOs erat Judæorum, ut non orarent nisi prius velato capite idque hac ratione, ut hoc ritu demonstrarent, se reverentes & pudefactos coram Deo atque indignos qui aperta facie in eum respicerent.

Maimon: in *Tephillah*. cap. 5. *Sapientes, discipuli sapientum ne orent nisi velati.* Glos: in *Shab.* fol. 12. 2. מתעטף מאימת שכינה *velat se præ reverentia erga Deum:*

Piske Tosaph: in Menachoth: Numer. 150. כהנים המתעטפים כשעולים לדוכן: *Sacerdotes velant se, cum ascendunt in suggestum.*

Avoth R. Nathan cap. 6. *Nicodemus in Scholam abiit* והתעטף והתפלל *& velavit se, & oravit.*

Erachin fol. 2. 2. קטן היורע להתעטף חייב ציצית: *Puerulus cum novit velare se tenetur ad fimbrias peniculamentarias.*

Maimon: in Fesudei Torah. cap. 1. *Moses in monte Sinai, vidit Deum* כשין עיוף *Sicut Angelum ecclesiæ velatum.*

Rationem velationis hujus duplicem expiscari potes ex verbis hisce Rabbinorum.

Schabb. fol. 12. 1. *Cum quis ingreditur ut visitet ægrotum, ne sedeat super lectum, nec super cathedram,* אלא מתעטף, *sed velet*

velet se & sedeat coram eo, nam Deus est super cervical ægrotantis.

Ubi Glos: מתעטף מאימת שכינה *Velat se præ terrore Dei* [vel reverentia erga Deum] *sicut homo qui sedet* באים ואין פונה לצדדין *in timore & non respicit hac aut illac.*

Taanith. fol. 14. 2. *Discipuli sapientum* [in jejuniis solennibus] *velant se sedentque, ut lugentes & excommunicati* כנני אדם נזופין למקום *Sicut qui increpati sunt à Deo.* Nempe ut pudefacti ob istam increpationem. Sic נזוף Ille qui increpatus fuit à grandi aliquo Rabbino, *domi se continuit ut pudefactus, nec coram eo stetit qui eum pudefecerat capite detecto.*

Observare licet, *Onkelosium* reddere ביד רמה *Manu elata, per* בריש גלי *Capite detecto.* Ut *Exod.* 14. 8. Israelitæ exierunt ex Ægypto *capite detecto*, i. e. fidenter, non timidè, aut ut pudefacti.

Et *Numer.* 15. 30. Anima quæ quicquam delicti commiserit בריש גלי *Capite detecto* i. e. Audacter atque impudenter.

Sic & *Jonath*: in *Judic.* 5. 1. Redierunt sapientes ad sedendum in Synagogis בריש גלי *Capite detecto* i. e. non metuentes ab inimicis aut pudefacti.

Velarunt ergo se viri inter orandum, partim in signum reverentiæ erga Deum, partim ut demonstrarent se pudefactos coram Deo, & indignos qui in eum respicerent. Qua in re Judaizasse adhuc hosce Corinthios, quamvis ad Christianismum jam conversos, satis patet ex castigatione Apostoli.

De modo velandi, vide *Moed Katon.* fol. 15. 1. & 24. 1. & *Arush* in עטף & נב

VER. 5. Πᾶσα δὲ γυνή.

I. Fœminarum mos erat, isque severis Canonibus iis præscriptus, ne in publicum prodirent nisi facie velatâ.

Maimon: in אשורת cap. 24. *Hæc si agat mulier, transgreditur*

legem Judaicam: Si in plateam exeat vel in vestibulum apertum, capite non cooperto. ואין עליה רדיר *Et non sit super eam velum, sicut super omnes fœminas, etiamsi capilla ejus obvolvantur peplo.*

Chetubb. fol. 72. 1. אי זו היא רת יהודית *Quænam est lex Judaica? Ne prodeat fœmina discooperto capite. Fundatur hoc in lege, nam dicitur* [de uxore suspecta] *Sacerdos discooperiet caput ejus* [Num. 5. 18.] *Et traditio est scholæ R. Ismaelis, quòd hinc monentur filiæ Israelis, ne prodeant non velato capite.*

Shabb. fol. 80. 1. *Fœminæ modestæ fuco colorant oculum unum*; Gloss: *Fœminæ modestæ prodierunt velatæ, & non discooperuerunt nisi oculum unum, ut cernerent, istumque oculum colorarunt.*

Bava Kama. fol. 90. 2. *Quidam caput fœminæ denudavit in platea: venit ea quæstum coram R Akiba, atque is hominem mulctavit quadringentis Zuzæis.*

II. At vero fœminæ, utcunque velatæ in plateis, tamen cum ad sacra accederent, velamina sua amoverunt, atque facies exposuerunt nudatas, idque non ex levitate, sed ex religione.

Keddushin fol. 81. 1. סקבא דשתא ריגלא *Scabies anni sunt tria festa.*

Gloss: *Tria festa* [Pascha, Pentecoste, & Scenopegia] *sunt ruptura anni ratione consociationis virorum & fœminarum, & propter transgressiones. Quippe quod diebus festorum istorum congregati sunt hi & hæ unâ, ad audiendum conciones, atque alter in alterius jactant lumina vultus. Et dicunt quidam quòd ob hanc causam soliti sunt jejunare post Pascha & Pentecosten.*

Unde promptè colligi potest, quod in Synagogis non ita promiscuè & confusè convenirent ac considerent viri ac fœminæ, nec se invicem ita intuerentur, ac in atriis templi ac *Hierosolymis*, cum adeo innumerabiles turbæ ad festa concurrerent: sed quod fœminæ seorsim & secluſæ à viris sederint, ubi ea

quæ

quæ peracta sunt in Synagoga, audire & conspicere possent, ipsæ tamen extra conspectum. Quem morem retinuisse primoevas istas Christianorum ecclesias, pluribus, nec male astruit *Baronius*.

Cum ergo sic à mulieribus seorsim conventum foret, non mirum est si velamina facierum amoverent, ipsæ extra conspectum virorum jam existentes, & remotâ causâ velationis, quæ quidem erat, ne à viris conspicerentur. Minimè ergo objurgat Apostolus hanc facierum nudationem absolute consideratam, sed latet aliquid aliud. Nam,

III. Non publicos sacros cœtus solùm respicit hæc commonefactio Apostoli, sed & ad ea pertinet quæ à viris fœminisq; in domibus suis atque interioribus conclavibus peracta fuerunt: nam & ibi ritus hosce adhibuerunt, cum privatim orarent aut tractarent sacra, æque ac in cœtibus publicis.

Hieros. Avodah Zarah. fol. 40. 1. *Rabban Gamaliel* itinerans, atque à quodam obviam eunte interrogatus de quodam voto, Descendit ab equo ונתעטף *& velavit se & consedit, & solvit votum.*

Sic. *R. Judah bar Allai*, vespere Sabbati cum in domo sua, se componeret ad obviandum atque excipiendum Sabbatum, *attulerunt ei aquam calefactam, isque faciem lavit & manus & pedes* והתעטף בסדינ מצוינ *Et velans se sindone variegata, consedit, & fuit similis Angelo Domini exercituum.*

Sic in exemplo *Nicodemi* nuper allato, Abiit ille in scholam suam solus & privatim, & *se velavit & oravit.*

Sic viri privatim: & fœminæ etiam è contra nudatis faciebus privatim. Ratio prioris redditur, nempe velati erant viri ob reverentiam erga Deum & ut pudefacti coram Deo: at quare non velatæ etiam fœminæ, ratio obscurior.

Generalior facilè reddi potest, nempe שאישה פטורה מכל מצות *quod fœmina soluta* vel *immunis foret à præcepto*: id est à plurimis ritibus, quibus subjiciebantur viri: ut à gestatione fim-

briarum & Phylacteriorum, ab his aut illis orationum formis & occasionibus, & plurimis ceremoniis & legibus ad quas viri tenebantur:

In *Menachoth* fol. 43. 2. *Dicit R. Meir: Tenetur Vir quilibet ad has tres benedictiones unoquoque die. Benedictus sit Deus, quia non fecit me Ethnicum, quia non fecit me fœminam, quia non fecit me* בור *stupidum* vel indoctum. At *Rabb Acha bar Jacob* cum audiret filium suum dicentem, *Benedictus sit Deus quia non fecit me* בור *rudem* de re hæsitavit: & hac ratione, interprete glossatore, שנוי ואישה לא בני מצוה נינהו *Quia Ethnicus & fœmina non sunt capaces præcepti, at* בור *rudis vel indoctus est capax. Merito ergo benedicitur, quod Deus non fecerit eum, Ethnicum aut fœminam.*

Per hunc canonem, quod *fœmina soluta foret à præcepto*, eximebatur ea à velatione faciei inter sacra, cum illud præceptum, viros respiceret, & non fœminas: at si rationem exemptionis hujus magis particularem requiras, quamnam invenies? In æquilibrio ferè est an Canonistæ fœminas exemerint à velatione, quod eas magni, vel quod parvi æstimarent. In aliis, fœminam ponunt infra dignitatem & extra necessitatem observantiæ horum aut illorum rituum; & an in hac re etiam idem censuerint, an quod è contra plus attribuerint venustati facierum muliebrium quam virilium, justa est quæstio. Sed sive hac sive illac res inclinet, & huic & illi optimè quadrat correctio & commonefactio Apostoli, ut patebit in sequentibus.

Καταισχύνει τὴν κεφαλήν.

Dedecorat caput? Quodnam? Illud quod humeris gestat? An illud cui subjicitur? ut Christo vir, viro fœmina: De posteriori præcipuè intelligendum esse Apostolum, patet ex commate præcedenti, & ex toto quidem contextu. Nam cuinam fini adducuntur ea *ver. 3. vellem vos scire quod caput fœminæ*

minæ vir &c. niſi ut applicentur, & ad rem Apoſtoli faciant commatibus inſequentibus.

Nec eſt tamen ſubjectio fœminæ & ſuperioritas viri, totum illud per & propter quod concludit Apoſtolus, fœminæ non orandum niſi velatæ, viro autem è contra. Nam ſi ſic ab eo argueretur. Ne oret fœmina niſi cooperto capite, quia ea ſubjecta eſt viro, argui etiam pariter poſſet, Ne oret vir niſi capite cooperto quia is ſubjectus eſt Chriſto.

Vereor ne ſenſum hujus loci, in ſe quidem ſatis obſcuri, obſcuraverit magis interpretatio iſta quæ velationem fœminarum hoc in loco ſupponit ut ſignum ſubjectionis fœminæ ſub marito. Sic Primaſius. *Mulier debet habere velamen, quod oſtendat humilem & viro eſſe ſubjectam.* Carthuſian: *Ratio autem velationis mulierum eſt quia ſubjectæ ſunt viris*, &c. Beza *Velamen accipe, quo ſignificatur uxorem eſſe in viri poteſtate.* Camerar: *Velum quo ſignificetur alterius eam poteſtati ſubjectam eſſe:* Et plurimi in eundem ſenſum. At vero liceat quærere.

I. Ubinam quæſo proponitur velamen, ut ſignum talis ſubjectionis? Signum quidem veræ modeſtiæ exhibetur, *Gen.* 24. 65. & ſimulatæ *Gen.* 38. 14. aſt ubinam ſubjectionis?

II. Dati ſunt capilli aviæ noſtræ *Evæ* pro velamine [ut clarè aſſerit Apoſtolus hoc in loco] à primo creationis ſuæ momento, priuſquam ea ſubjiceretur marito, audiretque illud, *Ille tibi dominabitur*, imò antequam maritaretur *Adamo*.

III. Non agit Apoſtolus, de uxoribus ſolum, ſed de fœminis in genere, uxoresne eæ ſint, an virgines an viduæ.

IV. Sequitur fœminam ſemper & ubique obligatio ſubjectionis erga maritum, num ſemper & ubique portare ſecum debet velamen, ut ſubjectionis iſtius ſignum? Num neceſſariò velanda dum res familiæ curat? num in horto, in agris, ſola ambulans aut cum familia? Liquet ſatis Apoſtolum agere de velatione ſolùm cum verſaretur in ſacris: & reſpici aliquid quod attinet ad fœminam reſpectu Dei potius quàm reſpectu mariti.

mariti. Et quamvis non negaverimus velationem fœminæ fuiſſe ſignum aliquod ſubjectionis ſuæ erga maritum, negamus tamen velationem, de qua hîc Apoſtolus, eo reſpexiſſe.

V. Judæi rationem velationis fœminæ pudefactionem aſſignant.

Bereſhith rab. ſect. 17. *Quare vir in publicum prodit capite non cooperto? fœminæ autem cooperto. R. Joſua dicit, eſt ſicut cum quis tranſgreditur & pudefit. Ea ergo prodit capite obtecto.* En velamen, ſignum pudefactionis quidem, at ſubjectionis neutiquam: & pudefactionem fœminæ inde petunt, quod ea primùm peccatum introduxerit in mundum.

Velationem ergo fæminæ ad ſacra requirit Apoſtolus, eâdem notione & ratione qua viri ſe velarunt, nempe ob reverentiam coram Deo. At certe quæri poſſet, an ille tam velationem fœminarum urgeat, quam velationem virorum redarguat. Utcunque, aptiſſimo hoc argumento contrarium iſtum ritum, & virorum ſtultitiam bene caſtigat. Ac ſi dixiſſet: Nonne perpenditis, quòd vir eſt δόξα θεοῦ, at mulier tantum δόξα ἀνδρὸς, quòd fœmina facta eſt propter virum, quod vir eſt caput fœminæ, & tum quàm ridiculum eſt viros velamine uti cum orant ob reverentiam & pudefactionem coram Deo, & fœminas non uti, quarum gloria eſt minor: Γυνὴ δόξα ἀνδρός; Sic *R. Sol.* in *Eſai.* 44. 13. כתפארת אדם *Sicut gloriam viri: Id eſt* inquit, *ſicut fœminam quæ eſt gloria mariti*, vid. & Targ. Καταισχύνει τὴν κεφαλὴν] קלות ראש Talmudicis eſt *levitas* aut *irreverentia*: & ſi Phraſiologiam Græcam eodem ſenſu redderes, ac ſi eſſet מקיל ראשו vel מקילה ראשה non multum errares vel à Grãmatica vel à veritate: at altius aſſurgit ſenſus. Vir orans velatus ut pudefactus de facie ſua coram Deo dedecorat caput ſuum Chriſtum, qui faciem geſtarit ſimilem maſculam & virilem præcipueque munus Chriſti dedecorat, per quem acceſſionem ad Deum habemus cum fiducia. Et fœmina orans non velata, ac ſi faciei ſuæ eam non puderet, caput ſuum

suum virum dedecorat, dum ea tam formosa præ eo videri vult, cum quidem sit tantum gloria viri, vir autem sit gloria Dei.

VER. 6. Καὶ κειράσθω.

Si non veletur tondeatur. Imo potiùs, inquies incedat passis crinibus, nam ii pro velamine ei dati sunt a natura. Num hoc patietur Apostolus, aut gens ulla non barbara? Nequaquam. Dicit ille capillos fœminæ datos pro velamine, & tamen aliud requirit velamen; in memoriam revocans primitivam rationẽ cur fœminæ à natura detur velamen capillorũ, nempe ut sit in signũ reverentiæ, humiliationis & pudefactionis suæ coram Deo. Fœminis crines suos in nodos & vittas colligi & colligari permittit Apostolus, quod in gentibus omnibus non efferatis factum, imò contrarium vix toleraret. At si aliqua fœmina adeo immemor & oblita sit, cur à natura consessum sit sibi velamen capillorum, adeoque venustatis ac faciei suæ fidens, ut orans velamen, signum reverentiæ suæ erga Deum amoveat, amoveat etiam, inquit, naturale illud istius reverentiæ signum, velamen capillorum.

VER. 10. Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν, &c.

Illud quod vulgo hic obtinet est, ut per Ἐξουσίαν intelligatur *velamen* signum potestatis supra se, vel suæ subjectionis. At quærendum est an Ἐξουσίαν ἔχειν non propriè, imò semper denotet, Potestatem *penes* se habere, non potestatem *supra se*, ut, *Mat.7.29. Johan.19.10. 1 Cor.7.37,& 9.4.* & alias infinities.

Διὰ τοὺς Ἀγγέλους.

Propter Angelos? quosnam? Num propter bonos Angelos? An malos? An propter ministros? Novit lector quæ dicuntur

dicuntur in hunc ſenſum, & illum & illũ, quæ non recitabimus.

I. Ego certè ſi per Ἐξουσίαν intelligerem *velum*, per Ἀγγέλους intelligerem *Diabolos*, qui Angeli vocantur in ipſiſſima hac epiſtola, *cap. 6. 3.* Et ſi Apoſtolum de publicis ſolùm conventibus hic agere opinarer, verba ejus in hunc ſenſum redderem. Mulier in publico eccleſiæ conventu faciem velatam habere debet *propter Diabolos*, ne ſcilicet illi ex expanſa facierum muliebrium venuſtate viros irretiant, atque eos in facies fœminarum inhiare, & laſcivis oculis eas intueri incitent, dum cœlum intueri oporteret potiùs atque intentos eſſe rebus divinis.

II. Aut ſi per *Angelos* intelligendi ſunt *Miniſtri*, optimè quadrat interpretatio noſtra, quæ velamen ſignum facit pudefactionis & reverentiæ coram Deo, non ſubjectionis erga maritum. Nam logice magis certè hoc ſonat, velandæ ſunt fœminæ in ſacris, ut pudefactæ coram Deo, ergo velentur coram iis qui ſunt miniſtri Dei, quam illud, Fœminæ velandæ ſunt in ſacris, quia ſubjectæ ſunt maritis, ergo velentur coram miniſtris.

III. Aut ſi ſumamus *Angelos* ſenſu maximè proprio, id eſt pro Angelis bonis, & Phraſiologiæ Ἐξουσίαν ἔχειν tribuamus etiam ſenſum ſuum maximè proprium, id eſt Poteſtatem *penes ſe* habere, tum liceret locum hoc modo interpretari, Fœmina poteſtatem capitis ſui penes ſe non habet Διὰ τὸν θεὸν reſpectu Dei, ſed velanda eſt propter reverentiam erga Deum: At poteſtatem capitis ſui habet penes ſe, de ſe non velanda Διὰ τὰς Ἀγγέλους reſpectu Angelorum, nam iis ab ea non debetur talis religioſa reverentia.

IV. Aſt arbitror ego Apoſtolum alio reſpicere, &

I. Eum non ſenſu ſuo hic loqui, ſed aliquid inter Judæos uſitatum citare: Non tam normam aliquam fœminis Chriſtianis dictare, quam morem Judaicum, in confirmationem eorum quæ immediatè ante dixerat, proferre.

II. Dixerat, fœminam eſſe gloriam viri, fuiſſe ex viro, con-

conditam fuisse propter virum, &c. Et hoc testari potest illud, quod apud Judæos, Mulier debet penes se habere potestatem capitis sui propter Angelos.

III. Jam vero erant apud eos שילוחי קרושים *Angeli vel nuntii desponsationum:* qui ab hoc aut illo deputati erant, ad desponsandam deputanti uxorem; de quibus Angelis copiosè agitur à magistris sparsimque, præsertim vero vide *Kiddushin cap.* 2. Cujus initium איש מקרש בו ובשילוחו *vir desponsat sibi uxorem vel per se, vel per Angelum suum,* aut deputatum.

IV. Jam vero quamvis velationem facierum muliebrium in plateis, & requirerent Canones magistrorum, & consuetudo gentis comprobaret, permissum est tamen foeminis, facies nudare, ornare, venustare in ordine ad honestum matrimonium quod & ratio ipsa firmat, & mos gentis, & docent Rabbini.

V. Huc spectare videtur ratiocinatio Apostoli hoc in loco. *Creata est fœmina propter virum, ver.* 9. quod & ipsissimo vestro ô Judæi astruitur consensu, cum decernitis, quod mulier potestatem penes se habet, & habere debet, super caput proprium propter Angelos desponsationum. Nudet faciem si velit, ut venusta appareat; velet si velit, ut modesta. Potestatem liberam penes se habet, ut desponsationem suam promoveat nuptiasque, ut ob virum esset, cum propter virum fuerit creata.

VI. Verum quidem est, obtinuisse illud præcipue, quod immediate fere sequitur post verba nuper allegata טעונה בו יותר מבשילוחו *Præcipitur ut per seipsum quis fœminam desponset, potius quam per deputatum suum,* illudque quod illico, *Ne quis fœminam desponset priusquam eam viderit. Kidduſh.* fol. 41. 9. at frequentissime tamen factum est, ut postquam quis foeminam viderit, per Angelos aut deputatos suos eam sibi desponsaret, vel modestiâ suâ vel necessitate aliqua eum cogente.

VII. Hinc videtur Apostolus de *Angelis* istis mentionem facere potiùs, quam de viris, eos in rem istam deputantibus: idque ut rem quam agit, fortius roboret, astruatque: quasi di-

cat. Fœmina non ſolum poteſtatem capitis ſui habet, ut faciem ſuam denudet coram eo qui futurus eſt ejus maritus, ſed & coram iis qui ab eo miſſi & deputati ſunt ut eam deſponſent: Et ex hac ipſa re liquet inquit, quod fœmina creata eſt propter virum, quod ea, ut ob virum eſſet, poteſtatem talem habeat faciem detegendi coram Angelis iſtis qui ad eam deſponſandam accedunt, cum aliter pro more gentis, non liceret. Reticet Apoſtolus vocem *deſponſationum* קדושין & dicit *Propter Angelos* ſolùm, non propter *Angelos deſponſationum*; nam ex ipſo ſcopo diſſertationis ſuæ illud facilè ſubintelligeretur, cum in verbis immediate antecedẽtibus dicit *Fœmina creata eſt propter virum*. Sic & Talmudici frequentiſſimè ſimplicem vocem שלוחים Angelos adhibent cum ſemel notum fecerint ſe de deſponſationibus loqui.

VER. 14. Ανὴρ ἐὰν κομᾷ, &c.

Sive Apoſtolus prolixos crines virorum reprehendat, ex occaſione oblata cum diſſereret de prolixis crinibus fœminarum ſive [quod non improbabile] quòd Judaizantes hi Corinthii *Naziræatum* adhuc amplecterentur, & crines ob iſtam rationem alerent; Satis confirmatur illud quod dicit, *quod natura ipſa docet quod viro comatũ eſſe dedecori eſt*. Ex hoc, quod muliebre eſt. Erant quidem variæ gentes quæ erant comatæ, ut καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ apud Homerum, *Gallia comata* apud hiſtoricos, &c. at an in hoc ſequuti ſint lumen naturæ, an potiùs id fecerunt ex feritate, aut ut terribiliores viderentur hoſtibus meritò quæritur.

Unde ergo, inquies, nutritio comæ in *Naziræatu* idque ex præcepto divino? *Reſp.* Fuit humiliationis ſpecimen, atque abnegationis ſui, ut & erat abſtinentia à vino & uvis. Religioſum quendam ſqualloreм, ut ita dicam, præ ſe tulit, & vilificationem ſui.

Falluntur ergo plurimùm qui *Abſalomum* comatum ex ſuperbia inceſſiſſe arbitrantur, cum ita quidem inceſſerit ob votum

tum [fictum saltem] *Naziræatûs*, verissimè Hierosolymitani in *Nazir.* fol. 51. 2. אבישלום נזיר עולם היה *Absalomus* inquiunt, *fuit Naziræus perpetuus.* Verissime inquam in hoc, quod *Naziræum* eum asserant, at de perpetuitate voti ejus, hic non disputabimus, vid. 2 *Sam.* 15. 7, 8.

Est apud *Tacitum* hist. lib. 4. cap. 14. Votarius nequam, isti non dispar *Civilis*, de quo sic ille. *Civilis, barbaro voto, post cœpta adversus Romanos arma, propexum rutilatumque crinem, patrata demum cæde legionum, deposuit.*

Judæi si non voto *Naziræatus* astricti, se tondebant frequentissimè: atque utcunque aliis temporibus certe nunquam non ante festum, idque in honorem adventantis festi: Unde major suspicio hic oriri potest Corinthios hosce promissis suis capillis *Naziræatum* fuisse professos.

Moed Katon. cap. 3. hal. 1. *Hi tondent se in ipso festo. Is qui venit à loco Ethnico, isque qui è carcere, & excommunicatus qui solvitur ab excommunicatione sua.*

Sensus traditionis hic est. His, qui ante festum aliqua necessitate detenti fuerunt, ut non potuerint tonderi, tonderi licet in ipso festo. At si non impediret aliqua talis necessitas tondebantur ante festum, & vulgò ipsis vesperiis festi.

Piske Tosaph: ad *Moed Katon.* artic. 78. *Cum quis non tondetur vesperiis diei festi, sed tribus diebus ante, non patet eum tonsum fuisse in honorem festi.*

Non possumus hic omittere hanc historiam.

Hieros. Avodah Zarah fol. 41. 1. *Peregrinus quidam, qui tonsor erat nec non astrologus vidit per Astrologiam suam quòd Judæi fusuri erant sanguinem ejus* [quod de proselytismo ejus intelligendum erat nempe cum eum circumciderent.] *cum ergo ad eum accederet Judæus aliquis ut tonderetur, ille eum jugulavit. Et quotnam jugulavit. R. Lazar ben. Jose dicit. Octoginta. R. Jose ben R. Bon dicit Trecentos.*

VER. 15. Ἡ κόμη ἀντὶ περιβολαίου δέδοται.

Bab. Chetubb. fol. 66. 2. Filia *Nicodemi* miserè jam depauperata, ad *Rabban Jochananem* accedens ut eum alloqueretur נתעטפה בשערה *velavit se capillis suis & coram eo stetit.* Non aderat pauperculæ velamen aliud, usa est ergo eo quod à natura datum: & usa est, [ut signo dicam an] ut instrumento & specimine modestiæ & verecundiæ.

VER. 21. Ἕκαστος τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει.

I. Miror *Agapas* de quibus sanctus Judas, *ver.* 12. apud interpretes, hinc suam expositionem recepisse. *In illis conviviis,* inquit Beza, *quæ Agapas vocabant, solitos etiam fuisse sacram Domini cœnam usurpare, liquet ex* 1 Cor. 11. *de qua re agitur* in *Tertull. Apolog. cap. 39. & in aliis veterum scriptis.* Sic ille ad Act. 2. 42.

Atque in hunc locum: *Transit Apostolus,* inquit, *ad alterum hujus tractationis caput, nempe cœnæ Domini administrationem, cui adjunctæ tunc erant Agapæ,* &c. Et in versum sequentem. *Agapas quamvis diu & quidem laudabiliter, authoribus ipsis Apostolis, in ecclesiis usurpatas, tamen propter abusum tollendas censet Apostolus.*

Sic etiam Baronius. *Perseverabat adhuc in ecclesia laudatissimæ rei usus, ut quod Christus ultimâ cœnâ fecerat, ac in sui memoriam, ut facerent suos monuerat, Christiani convenientes in ecclesiam unâ cœnarent, simulque sacratissimam perciperent Eucharistiam: quod tamen cum Corinthii non ut decebat explerent, Paulus jure redarguit.*

Qui convivia talia charitativa, olim in ecclesia adhibita fuisse, unâ cum Eucharistia, negaverit, is certè toti antiquitati contradixerit; at an ea, *Agapæ* istæ fuerint de quibus Apostolus

lus Judas, an ea vel Christum vel Apostolos habuerint authores, & an hæc Corinthiaca talia fuerint, si quis dubitaverit, nec sine causa id facit, nec sine probabilitate contrarium credat.

Audi de his Corinthiacis Sedulium. *Apud Corinthios*, inquit *quondam ut alii asserunt, prava invaluit consuetudo, ecclesias passim dehonestare conviviis, in quibus vescebantur ante Dominicam oblationem, quam cœnam noctibus adoriebantur, cumque divites ebrii ad Eucharistiam venirent, vexabantur inopes fame. Mos vero iste ut referunt, de Gentili adhuc superstitione veniebat.* Nota illud [Ego *de Judaica superstitione*, dixerim] Ipsissima eadem apud Primasium.

II. Si liceat bonâ cum vetustatis veniâ, liberè loqui quod nobis videatur, de *Agapis* de quibus Apostolus *Judas*, paucis sic habe.

Agapas istas arbitramur, fuisse cum exciperentur peregrini hospitio, in singulis ecclesiis, idque sumptibus ecclesiæ. Tralatamque opinamur laudabilem hanc consuetudinem à Synagogis Judæorum.

Glos in *Bava bathr.* fol. 3. 2. *In Synagogis nec edunt nec bibunt*, &c. *Erat tamen prope Synagogam locus, in quo soliti sunt viatores dormire & edere.* Hinc illud in *Pesachin.* fol. 101. 1. ubi quæritur quare consecrant diem [quod usitatum super poculum vini] in Synagoga? & respondetur לאפוקי אורחים ירי הובתן *Ut & viatores officio suo fungantur, qui edũt & bibunt & convivãtur in Synagoga.* Hic quærit glossator, an licitum est edere & bibere in Synagogis cum aperto Canone sit prohibitum? *Megil.* fol. 28. 1. & tandem inter alia hæc respondet חדרים סמוכים לבית הכנסת קרי בי כנישתא *Conclavia quæ erant contigũa Synagogæ, vocantur etiam Synagoga atque inde viatores audierunt consecrationem.* Erat ergo vel propinquũ vel contiguũ Synagogæ Xenodocheum quoddam quo communibus Synagogæ sumptibus excipiebantur hospitio viatores & peregrinantes. *Confer. Act.* 18. 7.

Jam

Jam vero traductam fuisse in ecclesiam Christianam, tantæ charitatis consuetudinem, plurima sunt quæ suadent: ut & has peregrinorum receptiones, *Agapas* istas fuisse, de quibus S. *Judas* in terminis, & *Petrus* eodem sensu, licet non in terminis. 2 *Pet.* 2.

I. Cum imitatæ fuerint ecclesiæ Apostolicæ in omnibus ferè mores Synagogarum laudabiles, quod tusiùs demonstrari posset, si esset locus, minimè opinandum est, prætermissum ab iis esse, morem hunc tam pium, tam Christianum, tam necessarium. Repeto, *tam necessarium*. Nam

II. Cum hîc illic peregrinarentur Apostoli, & Discipuli Evangelizantes, pauperes satis, & ex temporum iniquitate, & ex ipso præcepto salvatoris; cumque tunc temporis ob professionem Evangelii, sedibus propriis exularent non pauci, efflagitavit honor Evangelii, necessitas rei, & pietas charitasque Christiana ut subsidio aliquo tali sublevarentur.

III. Cum dicitur Gaius *Hospes totius ecclesiæ*, *Rom.* 16. 23. vix alio sensu hoc accipias, quam quod deputatus fuerit per ecclesiam publico Xenodocheo: ubi munere suo adeo laudabiliter est functus, ut testimonium encomiasticum reportaret, si is idem *Gaius* quod probabile, à sancto *Johanne*, in epistola sua tertia, *ver.* 5.

IV. Cum mentio fiat de *viduis lavantibus pedes peregrinorũ*, 1 *Tim.* 5. 10. Cumque *Phœbe* dicatur Διάκονος τῆς Ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς *Rom.* 16. 1. ut alias omittamus quæ dicuntur multùm *laborasse in Domino*, vix meliorem sensum hisce Characteribus aptaveris, quam quod ministraverint in publico isto Xenedocheo de quo loquimur.

V. Et congruit hic sensus optimè præ omnibus aliis, cum loco *Judæ* allegato, ut & isto *Petri*, qui & eandem rem agit. Nam loquitur *Judas* de Apostatis hæreticis, seductoribus, bipedum nequissimis, quos ait esse σπιλάδας ἐν ἀγάπαις; Et num putas hos fuisse ex eâdem ecclesia, ubi sic convivabantur? Num

hi

hi ad *Agapas*, si modo eæ appendices cœnæ Dominicæ absque quovis scrupulo admissi? Nam dicit *Judas* Ἀφόβως ἑαυτὺς ποιμαίνοντες, &c. Quanto probabilius est, hos peregrinos existimare, ignotos, sub forma fidelium circumvagantes, atque communi ecclesiæ hospitio receptos, atque illic errores suos disseminantes, idque eo audaciùs, quo ipsimet ignotiores. Procul à nobis est negare usitatas fuisse *Agapas* quasdam ut appendices coenæ Dominicæ, sæculis ecclesiæ vetustioribus, at an temporibus Apostolorum quærimus, & an *Judas* tales velit maximè dubitamus, & tales hic indigitari ab Apostolo minime credimus. Longe aliud respexerunt, ni egregiè fallamur, convivationes istæ *Corinthiorum*, ante Eucharistiam; & vereor, ne dum tremendis commentariis, *Periocham*, hanc de coena Dominica adeo exagitant quidam, ut inde moti & territi nonnulli sacramentum hoc omnino fugiant, ut lethale quid, & quod noli tangere, vereor inquam, ne culpam & errorem Corinthiorum hac in re non acu tangant, & illud Ἀναξίως non ad proprium eorum crimen reducant.

Credimus Judaicam partem hujus ecclesiæ, quamvis ad Evangelium conversam, aliquid tamen veteris sui fermenti retinuisse, & ut in aliis rebus, ita etiam in hac de Eucharistia, Judaizasse: De proprio ejus fine adeo graviter errantes, ut eam appendicem tantum Paschatis fuisse putarent aut novam aliquam & superadditam formam commemorationis exitus ex *Ægypto*. In quem errorem incidere, iis præsertim qui in Judaismum adeo erant propensi, erat promptius, & quod in pane & vino institueretur quæ aderant in Paschate, & quod ab ipsis incunabulis hoc imbiberant, *Messiam cum advenerit nihil rituum Mosaicorum, vel exterminaturum vel immutaturum, ast omnes in splendidiorem formam & pompam promoturum atque evectutum*. Hoc errore errasse hos *Corinthios* circa Eucharistiam, hæc observata planum reddunt, quæ innuit Apostolus, & in hoc & commatibus insequentibus; de quibus suo ordine

ut

ut occurrunt. Et primùm hoc quod ſub manibus perpendamus.

I. Sole clarius eſt Apoſtolum, *Corinthios* ob ipſiſſimas has coenas acriter reprehendere. Ob ipſiſſimas inquam coenas, & non ob abuſum ſolùm in coenis accidentem. Nam ἴδιον δεῖπνον vocat, *Propriam cœnam*, quæ comedenda domi, ſi quis adeo famelicus ante Euchariſtiam, ut non potuerit abſtinere. Coenam quæ in eccleſiam importata dehoneſtavit eccleſiam. Perpende hæc & cogita, an hæ *Agapæ* iſtæ fuerint quæ ſupponuntur.

II. Religioſum quid in hiſce coenis poſuerunt *Corinthii*, cum eas importarent in eccleſiam: at quidnam illud? Umbram ſcilicet & memoriam Paſchatizationis ſic retinuerunt, & libentiſſimè exemplum Chriſti in coena antecedanea ſunt imitati, ut Judaiſmo ſuo hac in re inſervirent liberiùs: Imo euchariſtiam in eândem commemorationem cum Paſchate inſtitutam fuiſſe ſomniarunt. Epidemicum erat inter Judæos ad Evangelium converſos, ut Chriſtianiſmum amplexarentur, at Judaiſmum non abdicarent: Imo Evangelica quantum fieri poterat ad Judaica traducerent.

Ὃς δὲ μεθύει.

Non eſt quod novimus qui ὃς μὲν πεινᾷ non ad pauperes applicet & ὃς δὲ μεθύει ad divites, quod & nos aliquando credidimus, at videntur potiùs ad variam gentem applicanda. Μεθύει ad Judæos, in *procæniis* ſuis Paſchatizantes ante Euchariſtiam: & Πεινᾷ ad Gentiles, non tam ex paupertate aut neceſſitate inediam iſtam patientes, quam quod coenam talem præcedaneam nollent amplecti, utpote quæ Judaiſmum redoleret.

Molliùs interpretari licet vocem Μεθύει quam ut ad extremam ebrietatem extendatur: Nam omnibus notum eſt quid

שכר

שבר sibi velit in *Gen.* 43. ult. & *Cantic.* 5. 1. ubi lxx. Ἐμεθύσθητε μετ' αὐτῶν & Μεθύσθητε ἀδελφοί. Quod si sensum vocis ignominiosum ei tribuere hic velis, non multum dissonat à largâ ista ingurgitatione vini quæ tolerabatur, & à quibusdam adhibebatur in suis Paschatizationibus. At videtur Apostolus in ipsum usum rei invehi, in ipsas scilicet cœnas, potiùs quam abusum. Nam si cœnarum istarum crapula, illud fuisset quod præcipue criminatur, in rem istam nervos redargutionis suæ intendisset fortiùs, at de ea, ultra hanc vocem, ne syllaba quidem una.

Credimus ergo contraria hæc ὃς μὲν πεινᾷ, ὃς δὲ μεθύει sic intelligenda. Judaica pars ecclesiæ, nullo modo voluit ad Eucharistiam accedere absque cœna atque convivatione præcedanea ac Paschativa, ubi lautè & affluenter excipiebantur, & ederunt & biberunt, καὶ ἐμεθύσθησαν atque ad saturitatem, & hilaritatem sunt provecti; Cum Gentilitia pars è contra istam Judaizationem horrens, & procoenia talia refugiens, πεινᾷ adhuc & jejuna ad sacramentum accedit, hoc est non coenata. Et hanc esse veram causam enormitatis istius arbitramur, quam corrigit Apostolus *ver.* 33. nempe quod non vellent alius alium expectare. Pars Gentilitia non expectare usque dum Judaica tempus suum quantumcunque illud foret coenando insumsisset.

VER. 23. Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ κυρίου.

Unde opus habet Apostolus ut huc recurrat? Num de institutione Eucharistiæ dubitarunt *Corinthii*? An de authoritate Apostoli institutionem istam iis tradentis? Nec hoc nec illud; nam ad Eucharistiam convenerunt, idque ex traditione Apostoli: At ille eos huc revocat hac ratione, ut ex verbis Christi qui coenam suam instituerat, & ex verbis suis quibus institutionem istam iis tradiderat, observarent, scopum & finem istius institutionis fuisse commemorationem mortis Christi, non commemorationem aliquam Paschalem.

1. Dixiſſe nempe Chriſtum, *Hoc eſt corpus meum*, *Hoc eſt ſanguis meus*: ut doceret panem & vinum aliò jam reſpicere quam reſpexerant cum adhiberentur in Paſchate. In illo panis Azymus acceleratam eorum liberationem ex *Ægypto* deſignabat, & vinum gaudium eorum ob iſtam liberationem. At in Euchariſtia panis, corpus Chriſti fractum, & vinum, ſanguinem ejus effuſum.

2. Dixiſſe etiam de vino, quòd eſt *Novum Teſtamentum*, in ſanguine ſuo: & quid ei ergo cum Paſchate veteris *Teſtamenti*.

3. Dixiſſe denique ſuper utrumque: *Hoc facite in commemorationem mei*. *In commemorationem mei*, non in commemorationem Paſchatis aut rei alicujus alterius.

VER. 25. Τοῦτο τὸ ποτήριον, &c.

Tropicè hîc loqui ſalvatorem ſatis probatum eſt olim à quam plurimis.

At obſervare licet & hoc ulterius.

Iſtud poculum quo uſus eſt Chriſtus, fuiſſe aquâ mixtum, ſi modò ille vulgarem gentis morē hac in re retinuerit quod minimè dubitandum. De more gentis diximus ad *Mat.* 26. 27. Hoc tantum inde jam repetentes. *Bab. Beracoth* fol. 50. 2. *Suffragantur ſapientes* R. Eliezaro. *Non benedicendum eſſe ſuper poculum benedictionis donec ei immiſceatur aqua.*

Hoc notamus ut demonſtretur harmonia, inter ſanguinem ſacramentalem, ut ita dicamus, veteris Teſtamenti, & hunc ſacramentalem novi: pariterque inter hunc Sacramentalem novi, atque ipſum Sanguinem Chriſti.

I. In pactione veteris foederis, *Exod.* 24. erat ſanguis mixtus aquâ. *Heb.* 9. 19. Et in hâc ſanctione novi, vinum etiam mixtum aquâ.

II. E latere Chriſti cum ſanguine fluxit aqua, *Johan.* 19. 34. inſolitè, præternaturaliter & ut reſponderet typo.

Matthæus

Matthæus & Marcus verba salvatoris exhibent Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. *Paulus & Pauli* comes *Lucas* Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι, in eundem sensum, eumque magis explicatum. Et hic iterum conferamus sanctionem veteris foederis, *Exod.* 24.

I. Adhibetur in ista historia tropica locutio, cum dicitur quòd *Moses* sanguinem sparsit *super totum populum*, id est super duodecim columnas ab eo erectas, ad repræsentandum duodecim tribus, *ver.* 4. sic & hoc loco, *Hoc est Sanguis meus*, id est repræsentatio Sanguinis mei.

II. De Sanguine tum sparso dici potuit, Hic est Sanguis Christi, veteris vel primi Testamenti. Ipse sanguis tunc & exinde repræsentabat Sanguinem Christi, quia sub veteri Testamento futura erat de tempore in tempus effusio Sanguinis. At jam vinum est repræsentatio Sanguinis Christi, quia exinde cessatura erat effusio Sanguinis istiusmodi.

III. Non sancitum erat vetus foedus in sanguine agni Paschalis in *Ægypto*, sed in sanguine taurorum & hircorum in eremo. Ratioque erat quia cum institueretur Pascha, non promulgatæ fuerant leges & articuli, de quibus foedus erat ineundum: at cum ea ederentur scriberenturque, tum sancitum est foedus. Pari modo Christus in institutione Baptismi non sancit novum foedus, Erat baptismus *Initium Evangelii*, *Mar.* 1. 1. At cum tradidisset Doctrinam atque articulos Evangelii, tum sancit *novum Testamentum*.

ἡ καινὴ Διαθήκη.

Hieros. Peah. fol. 17. 2. אי זו היא מתנה *Quidnam est donatio? Ecce omnia mea data sunt* ☞ *N. ex hoc tempore* אי זו היא דיתיקי *Quidnam est* Διαθήκη תהא לי לחיורת *Mea mihi sunto, & permanento: Cum vero morior sunto* ☞ *N.* Sic Apost. Heb. 9. 16. ὅπου γὰρ διαθήκη, θάνατον ἀνάγκη φέρεσθαι τοῦ διαθεμένου, &c.

I. Hoc poculum, non ſolum eſt ſignum Sanguinis Chriſti, nec ſolum ſigillum ut Sacramentum, ſed & ipſiſſima ſanctio N. Teſtamenti: id eſt totius Evangelicæ adminiſtrationis: non ſolùm ſanctio foederis, ſed ſanctio foederis ſub Evangelica adminiſtratione. Exinde ceſſatio Judaiſmi. Sic ſanguis iſte, *Exod.* 24. non erat ſolùm ſanctio foederis gratiæ, & ſanctio foederis de peculiaritate populi Iſraelitici, ſed harum rerum ſanctio ſub tali Oeconomia.

II. Dum ergo ſacramentum hoc recipimus, profitemur & proteſtamur contra Oeconomias & religiones omnes alias præter Evangelicam. Hinc temporibus, aſcenſionem Chriſti immediate ſubſequentibus, tam frequens Euchariſtiæ communicatio, ut illi nempe, qui jam recens fuerant à Judaiſmo converſi, per uſum ſacramenti hujus, Judaiſmum ſe ſuum abnegare oſtenderent, atque Evangelicam fidem atque Oeconomiam profiteri.

III. Communio itaque noſtra in hoc ſacramento, non tam eſt ſpiritualis quam externa, & declarativa, communis & conjunctæ noſtræ profeſſionis fidei Chriſtianæ. Procul à nobis abeſt, negare eſſe ſpiritualem communionem ſanctis cum Deo, atque inter ſe in uſu Euchariſtiæ: imo aſſerimus eſſe propinquiſſimam inter verè credentes & Deum: At quænam eſt iſta ſpiritualis communio ſanctorum inter ſe? Mutuus amor, cor unum, mutuæ preces, &c. At & eandem communionem exercere poſſunt, exercentque, cum conveniunt ad quamlibet aliam partem divini cultûs. Eandem rem agere poſſunt, aguntque cum ſunt à ſe invicem diſtantes. Communio ergo eorum in hoc ſacramento, quæ diſtinctè *communio Euchariſtica* denominetur, eſt quòd conveniunt, atque externo hoc ſigno, palam & junctis animis profitentur, ſe uniri in ſacro uno nodo & vinculo religionis Chriſtianæ, religiones omnes alias abdicãtes.

IV. Cum igitur in aliqua eccleſia accedimus ad Euchariſtiam, non ſolum cum iſto cœtu communicamus, quocunque tunc temporis

poris conſociamur, ſed cum tota eccleſia catholica in profeſſione veræ religionis Evangelicæ.

VER. 26. Τὸν θάνατον τῦ κυρίυ καταγγέλλετε.

Notum eſt quid fuerit הגדה in coena Paſchali, enuntiatio ſcilicet magnalium Dei in liberatione populi ex Ægypto. Eandem ut videtur retentam voluerunt Judaizantes hi Corinthii in cœna Dominica, ac ſi in iſtam commemorationem ſolùm inſtituta, & ſuperaddita fuerit Euchariſtia. Vox καταγγέλλετε optimè reſpondet voci הגדה: & dum eos monet Apoſtolus, mortem Chriſti illud eſſe quod erat annuntiandum, colligi poteos de hac re erraſſe, ac reſpexiſſe alio.

VER. 27. Ἀναξίως.

Explicat ſeipſum Apoſtolus *ver.* 29. ubi & de hoc commate agemus.

VER. 28. Δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος, &c.

Dixerat antea *ver.* 19. Ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται: & eodem ſenſu dicit δοκιμαζέτω hoc in loco. Non tam, *ſe exploret* vel *examinet*, quam *ſe approbet*, id eſt approbatum, fide & doctrina Chriſtiana ſe exhibeat. Sic *cap.* 16. 3. ὃς ἐὰν δοκιμάσητε: *Quoscunque approbaveritis.* Occurrit & vox eodem ſenſu frequentiſſimè.

VER. 29. Μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τῦ κυρίυ.

Hoc de proprio actu intellectûs eſt intelligendum: de vero ſcilicet judicio, de natura & ſignificatione ſacramenti. Si dictum quidem foret, Μὴ διακρίνων τὸν κύριον, reddi poſſet eodem ſenſu, quo *Non novit Dominum*: id eſt non amat, non timet, non veneratur. At cum dicitur Μὴ διακρίνων τὸ σῶμα, plane agitur

I. Hoc poculum, non ſolum eſt ſignum Sanguinis Chriſti, nec ſolum ſigillum ut Sacramentum, ſed & ipſiſſima ſanctio N. Teſtamenti: id eſt totius Evangelicæ adminiſtrationis: non ſolùm ſanctio foederis, ſed ſanctio foederis ſub Evangelica adminiſtratione. Exinde ceſſatio Judaiſmi. Sic ſanguis iſte, *Exod.* 24. non erat ſolùm ſanctio foederis gratiæ, & ſanctio foederis de peculiaritate populi Iſraelitici, ſed harum rerum ſanctio ſub tali Oeconomia.

II. Dum ergo ſacramentum hoc recipimus, profitemur & proteſtamur contra Oeconomias & religiones omnes alias præter Evangelicam. Hinc temporibus, aſcenſionem Chriſti immediate ſubſequentibus, tam frequens Euchariſtiæ communicatio, ut illi nempe, qui jam recens fuerant à Judaiſmo converſi, per uſum ſacramenti hujus, Judaiſmum ſe ſuum abnegare oſtenderent, atque Evangelicam fidem atque Oeconomiam profiteri.

III. Communio itaque noſtra in hoc ſacramento, non tam eſt ſpiritualis quam externa, & declarativa, communis & conjunctæ noſtræ profeſſionis fidei Chriſtianæ. Procul à nobis abeſt, negare eſſe ſpiritualem communionem ſanctis cum Deo, atque inter ſe in uſu Euchariſtiæ: imo aſſerimus eſſe propinquiſſimam inter verè credentes & Deum: At quænam eſt iſta ſpiritualis communio ſanctorum inter ſe? Mutuus amor, cor unum, mutuæ preces, &c. At & eandem communionem exercere poſſunt, exercentque, cum conveniunt ad quamlibet aliam partem divini cultûs. Eandem rem agere poſſunt, aguntque cum ſunt à ſe invicem diſtantes. Communio ergo eorum in hoc ſacramento, quæ diſtinctè *communio Euchariſtica* denominetur, eſt quòd conveniunt, atque externo hoc ſigno, palam & junctis animis profitentur, ſe uniri in ſacro uno nodo & vinculo religionis Chriſtianæ, religiones omnes alias abdicãtes.

IV. Cum igitur in aliqua eccleſia accedimus ad Euchariſtiam, non ſolum cum iſto coetu communicamus, quocum tunc temporis

poris consociamur, sed cum tota ecclesia catholica in professione veræ religionis Evangelicæ.

VER. 26. Τὸν θάνατον τοῦ κυρίου καταγγέλλετε.

Notum est quid fuerit הַגָּדָה in cœna Paschali, enuntiatio scilicet magnalium Dei in liberatione populi ex Ægypto. Eandem ut videtur retentam voluerunt Judaizantes hi Corinthii in cœna Dominica, ac si in istam commemorationem solùm instituta, & superaddita fuerit Eucharistia. Vox καταγγέλλετε optimè respondet voci הַגָּדָה: & dum eos monet Apostolus, mortem Christi illud esse quod erat annuntiandum, colligi poteos de hac re erasse, ac respexisse alio.

VER. 27. Ἀναξίως.

Explicat seipsum Apostolus *ver.* 29. ubi & de hoc commate agemus.

VER. 28. Δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος, &c.

Dixerat antea *ver.* 19. Ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται: & eodem sensu dicit δοκιμαζέτω hoc in loco. Non tam, *se exploret* vel *examinet*, quam *se approbet*, id est approbatum, fide & doctrina Christiana se exhibeat. Sic *cap.* 16. 3. ὃς ἐὰν δοκιμάσητε: *Quoscunque approbaveritis.* Occurrit & vox eodem sensu frequentissimè.

VER. 29. Μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τοῦ κυρίου.

Hoc de proprio actu intellectûs est intelligendum: de vero scilicet judicio, de natura & significatione sacramenti. Si dictum quidem foret, Μὴ διακρίνων τὸν κύριον, reddi posset eodem sensu, quo *Non novit Dominum*: id est non amat, non timet, non veneratur. At cum dicitur Μὴ διακρίνων τὸ σῶμα, plane agitur

tur de actu intellectus: *Non recte dijudicat de corpore Domini.* Et hic error gravis Judaizantium horum *Corinthiorum*, qui nihil videre voluerunt de corpore Christi in Eucharistia, aut de morte ejus, intentis nimium oculis eorum in commemorationem Paschalem. Vetus fermentum Judaismi, in novo hoc Paschate Eucharistiæ, retinuerunt: Et hæc erat eorum participatio Sacramenti Ἀναξίως, utpote scopum & finem ei assignantium, indignum longe & longe nimis humilem. Sunt proh dolor! inter Christianos qui Ἀναξίως quidem accedunt ad hoc sacramentum, at an hoc Ἀναξίως *Corinthiorum*, aptè ad eos applicetur, ego multum dubito. Liceat tenuitati meæ liberè hoc fari, bona cum bonorum & piorum venia, quod vereor ne hæc dissertatio Apostoli, quæ Judaizantes præcipuè castigavit, severè nimis ad Christianos nequaquam Judaizantes applicetur; Saltem ne non à quamplurimis interpretibus, ad proprium & intentum ejus scopum applicetur.

De hisce *Corinthiis* Ἀναξίως, sensu de quo diximus, Eucharistiam recipientibus, duo dira loquitur Apostolus.

I. Quod Ἔνοχοι fierent τῦ σώμα]Θ καὶ τῦ αἵμα]Θ τῦ κυρίυ, *ver.* 27. Cum hoc confero illud ejusdem Apostoli *Heb.* 10. 29. *Conculcavit Filium Dei, & Sanguinem Testamenti profanum duxit, per quem sanctificatus est* ipse Filius Dei, & *Heb.* 6. 6. *Crucifigunt rursus sibi Filium Dei* καὶ παραδειγματίζυσι. De quibusnam est sermo? Non de omnibus Christianis, non exactè ad normam Evangelicam ambulantibus [quamvis illi quidem ignominiosè nimium Christum habeant tractentque] sed de relabentibus atque Apostatizantibus ab Evangelio ad Judaismum: quo inclinarunt nimis hi *Corinthii* & ut ab eodem reatu tempestive caveant, admonentur. Nam cum quis Evangelium professus, adeo ad Judaismum nutaret, ut sanguinem Christi subordinaret Paschati, & nihil majus in eo agnosceret, quam quòd agnosceretur in sanguine agni & aliorum sacrificiorum

rum, nempe quod mera foret commemoratio, & nihil aliud, heu quam ille sanguinem istum æterni fœderis vili fecit. Ἔνοχος ille τῦ αἵματος & κυρίου, qui sanguinis istius effusioni assentitur, & mortiejus suffragatur, ut in *meram umbram* inflictæ & nihil aliud, quod fecerunt isti.

II. Quod ederent & biberent κρῖμα ἑαυτοῖς *Judicium Sibi ipsis*, quodnam autem illud Judicium declaratur *ver.* 30. *Multi sunt ægroti*, &c. Acre nimis est cum vertunt nonnulli κρῖμα per *damnationem*, cum apertissimè dicat Apostolus *ver.* 32. quod Κρινόμενοι παιδευόμεθα, ἵνα μὴ κατακριθῶμεν.

Sic prout in initio œconomiæ *Mosaicæ*, honorem sabbati vindicavit Deus nece colligentis ligna, & honorem cultus in Tabernaculo, nece *Nadabi* & *Abihu*, & honorem nominis sui lapidatione blasphemantis: Sic paria monumenta vindictæ suæ erexit in initio œconomiæ evangelicæ in tremendo exitio *Ananiæ* & *Sapphiræ*, Pro injuria & contumelia Spiritui sancto illata: in traditione quorundam in manus *Satanæ*, pro contemptu & inimicitia contra Evangelium: In hoc Judicio, pro abusu Eucharistiæ: In nece quorundam per pestem, ob *Nicolaitismum*, Apoc. 11. 23, &c.

VER. 33. Ἀλλήλους ἐκδέχεσθε.

Non quod procœnia ista Judaizantium toleret, & Gentilitiam partem ecclesiæ expectare præcipiat dum Judaica pars ita cœnet, sed damnatis antea totaliter procœniis istis Paschativis, etiam partium studium vult tolli, & ut simul & concorditer omnes ad Eucharistiam accedant, non divisim, & per partes, & contentiones.

CAP.

CAP. XII.

VER. 3. Λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦν.

CIrcumvagabantur Judæi quamplurimi, Magi, exorciſtæ, præſtigiatores, qui ſe ſpiritu ſancto donatos jactarent, plurima docerent & miracula ederent, & tamen *Jeſum* Dominum noſtrum dicerent *Anathema*. At certi eſtote vos, inquit Apoſtolus, hoſce homines, non loqui, non agere, non agi Spiritu Dei, *Nam nemo Spiritu Dei loquens dicit Jeſum Anathema*. Ex altera etiam parte, Negavit tota quidem gens Judaica donari Spiritum Sanctum Gentilibus. *Spiritus Sanctus*, inquiunt, *non habitat ſuper quemquam extra terram Iſraeliticam*, vid. *R. Sol.* in *Jon.* 1. Hinc illud, *Act.* 10. 45. Fideles qui erant ex circumciſione obſtupuerunt quod *etiam in Gentiles* effuſum eſſet donum Spiritûs Sancti.

At inquit Apoſtolus, cum Gentiles fateantur Jeſum eſſe Dominum, hoc non faciunt niſi per Spiritum ſanctum. Et ſic inſtruit ille Chriſtianos, ne decipiantur ſpiritibus doloſis & magicis Judæorum: atque os pariter obturat Judæorum, ne donari Spiritum Sanctum negent Gentilibus Chriſtianis.

Bab. Sanhedr. fol. 109. 2. *Joſua ben Perahia* אפיק ת שיפורי ושמתיר *produxit quadringentas tubas atque Anathematizavit Jeſum.*

VER. 8. Λόγος σοφίας, &c.

Cum Apoſtolus hoc ipſo in capite ter dona Spiritûs enumeret, non fruſtra forſan fuerit, ea parallela ſiſtere, eo ipſo ordine quo ille ea recitat ordinatque.

VER.

Ver. 8.	Ver.	Ver.
8. Δίδοται Λόγος σοφίας. Λόγος γνώσεως. 9. Πίστις. Χαρίσματα ἰαμάτων. Ἐνεργήματα δυνάμεων. Προφητεία. Διάκρισις πνευμάτων. 10 Γένη γλωσσῶν.	Ἑρμηνεία γλωσσῶν. 28 ὃς μὲν ἔθετο. Πρῶτον Ἀποστόλους. Δεύτερον Προφήτας. Τρίτον Διδασκάλους. Ἔπειτα δυνάμεις. Εἶτα χαρίσματα ἰαμάτων Ἀντιλήψεις. Κυβερνήσεις.	Γένη γλωσσῶν. 29 Μὴ πάντες Ἀπόστολοι. Προφῆται. Διδάσκαλοι. 30 Δυνάμεις. Χαρίσματα ἰαμάτων. Γλώσσαις λαλοῦσι. Διερμηνεύουσι.

Non adeo curiosi erimus, ut omnia ex parallelo posita ipsissima eadem esse statuamus, cum ordinem ipse *Paulus* suum inverterit de χαρίσμασιν ἰαμάτων & Δυνάμεσιν *ver.* 9. & 28. 30. Non tamen adeo negligentes esse possumus quin ordinem ejus aliquantùm observemus, ut aliquid inde expiscari possimus.

Λόγον σοφίας ergo attribuimus Ἀποστόλοις: quia illi totum mysterium profundissimæ sapientiæ Dei de Christo, & salute humanâ, divina claritudine patefecerunt. De qua re Apostolus noster frequentissime.

Λόγον γνώσεως attribuimus Προφήτας: cognitionem scilicet futurorum.

At quomodo applicamus πίστιν διδασκάλοις?

Per πίστιν hoc in loco non intelligendâ esse Fidem justificantem conceditur ut opinor ab omnibus, idque merito, cum Apostolus hic agat solùm de donis Spiritûs extraordinariis. Nec possum ego quidem eam intelligere de *Fide miraculorum*: Non de fide edendi miracula, quia speciatim & seorsim numerantur Δυνάμεις & χαρίσματα ἰαμάτων. Nec de fide credendi miraculis, quia de modis & personis hic est sermo activè Evangelium propagantibus, non passivè illud recipientibus.

Per *Fidem* ergo ego intelligerem *Fiduciam*, id est sanctam Audaciam, confidentiam, & magnanimitatem, qua armati erant sanctissimi isti præcones Evangelii, ita ut à nulla re, à nulla persona potuerint terreri, vid. *Act.* 4 13. præsertim vero *ver.* 29. 31. Et hoc sensu optimè attribui potest πίστις τοῖς Διδασκάλοις.

Δυνάμεις & χαρίσματα ἰαμάτων, facillime & diſtinguuntur & intelliguntur. Ea iterum ita diſtincta habes, *Mar.* 6. 5. & 16. 17, 18.

Ἀντιλήψεις: illi erant, ut eſt probabile, qui comitati ſunt Apoſtolos, atque baptizarunt ab iis converſos, atque huc illuc ſunt ab iis miſſi ad loca ad quæ ipſi accedere, aliis rebus occupati nequiverunt. Ut *Marcus*, *Timotheus*, *Titus*, &c. Talmudici *Levitas* aliquando vocant משערי לכהנים Ἀντιλήψεις ἱερέων.

Προφῆται & Ἀντιλήψεις ex parallelo ſiſtuntur juxta ordinem Apoſtoli, atque optimè quidem conveniunt, ſi *Prophetam* pro concionando ſumas, quod fit frequentiſſime.

Κυβερνήσεις etiam & Διακρίσεις πνευμάτων ſtant parallelæ: & unam eandemq; rem eas denotare, ego vix dubito. At κυβερνήσεις, mihi hoc in loco non *Gubernationes* ſonat, aut facultatem regendi; Sed *Altam & profundam ſolertiam* ſonat: quo ſenſu occurrit apud lxx. interpretes ſemel iterumque, & reſpondet voci Hebrææ תחבלות.

Prov. 1. 5. נבון תחבלות יקנה lxx. Ὁ νοήμων κυβέρνησιν κτήσεται. verſ. Interlin: *Intelligens conſilia ſolertia poſſidebit.* Ab: *Ezra* תחבלות ענין עצה ומחשבה *Tahbuloth conſilium denotat, & Excogitationem*, vid. & *Kimch.* & *R. Sol.* in loc.

Ibid. cap. 11. 14. באין תחבלות יפל עם lxx. Οὗ μὴ ὑπάρχει κυβέρνησις, πίπτει. Quid ſibi vox velit facilè colligas ex Antitheſi in ſequentibus. ותשועה ברב יועץ. Σωτηρία δὲ ὑπάρχει ἐν πολλῇ βουλῇ.

Ibid. cap. 14. 6. בתחבלות תעשה לך מלחמה lxx. Μετὰ κυβερνήσεως γίνεται πόλεμος. Vulgo. *Cum diſpoſitione initur bellum.*

Διάκρισις πνευμάτων erat dijudicatio inter Spiritus magicos & Diabolicos eorumq; operationes & interoperationes & eloquia ſpiritus ſancti. Nam plurimi tunc tēporis Pſeudoprophetæ prodierant in mundum. 1 *Joh.* 4. 1. idque κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους, ita ut facile non foret, ferè dixeram, impoſſibile foret, inter eorum miranda diſtinguere, & ve-

ra

ra miracula ſpiritus ſancti. At miſertus ſuorum clementiſſimus Deus, inter alia dona ſpiritus ſancti in ædificationem eccleſiæ effuſa, hoc etiam quibusdam eſt largitus, ut dijudicare poſſent de ſpiritibus Propheticis, veri ne illi ac divini, an falſi & Diabolici. Profundam hanc ſolertiam, ſub hac voce κυβερνήσεις indigitari, ſuadet non parum ordo Apoſtoli, vocis ſignificatio, & res ipſa. Nam cum inter omnia dona ſpiritus, vix fuerit ullum, vel utilius vel magis neceſſarium, quam hæc dijudicatio ſpirituum, vix illud omiſſurum arbitror in enumeratione ſua ſecunda: At ubi mentionem ejus comperies, ſi non in iſta voce?

CAP. XIII.

VER. 1. Γλώσσαις τῶν Ἀγγέλων.

B*Ava bathra* fol. 134. 1. *Rabban Jochanan ben Zaccai non non omiſit* שיחת שרים ושיחת דקלים ושיחת מלאכי השרת *Sermonem* vel colloquium *Dæmonum, Palmarum & Angelorum*; quin illud didicerat. Gloſs: *Sermonem Dæmonum ut eos exorcizet, & Angelorum ut eos adjuret.* Loquitur Apoſtolus pro conceptu Gentis.

Κύμβαλον ἀλαλάζον.

Κύμβαλον Talmudicis eſt צלצל de quo ſic illi.

Erachin. fol. 13. 2. ואסף במצלתים ללשמיע. *Et Aſaph cum cymbalis ſonoris.* 1 Paral. 25. מצלתים תרי הוו *Tintinnabula duo fuerunt.* [Ut liquet ex numero duali] כיון דחדא עבידתא עבדו והד גברא עביד בהו קרי להו הד *Cum vero opus unum præſtarent, unuſque homo id præſtaret dicuntur unum.*

Aruch: Erant duo globuli ex ære, atque hunc in illum contuderunt.

Jam vero κύμβαλον ἀλαλάζον erat, cum contunderentur duo

hi globuli abſque ullo Muſicæ vel modo vel tono, ſed ſono inculto, incondito atque ululante, *Mar.* 5. 38. Κλαίοντας καὶ ἀλαλάζοντας.

Obſervare licet, in his inſtantiis quæ comparantur cum charitate, & pro nihilo ſunt, ſi charitas abſit, quod Apoſtolus ea memoret quæ nobiliſſimæ æſtimationis erant apud gentem Judaicam, ut etiam pretioſiſſima quæ ab iis nominari poſſent, cum hoc precioſiori conferrentur, & præ eo vileſcerent.

I. Λαλεῖν γλώσσαις τῶν ἀνθρώπων, iis Interpretibus, *Eſt loqui linguis Septuaginta gentium*, aut ſaltem loqui linguis gentium multarum. Sic in laudem *Mardochei* referunt quod linguas calleret ſeptuaginta gentium, & à patribus Synedrii requirunt, ut ſint plurimarum linguarum periti, *Ne Synedrium quicquam audiat per interpretem. Maimon* in *Sanhedr.* cap. 2.

II. Λαλεῖν γλώσσαις Ἀγγέλων; Ob hoc ſingulari encomio *Jochananem ben Zaccai celebrant, in exemplo allegato.*

III. Εἰδέναι μυρία πάντα, &c. Sic illi de eodem loco citato. *Octoginta diſcipuli erant Hilleli Seniori. Triginta qui digni erant ſuper quos habitaret ſpiritus ſanctus ſicut ſuper Moſen. Triginta digni pro quibus ſol curſum ſiſteret ut Joſuæ. Viginti erant mediani. Maximus omnium Jonathan ben Uzziel, Minimus Rabban Jochanan ben Zaccai. Ille non* omiſit [quin calleret] *Scripturam, Miſhnam, Gemaram, Idiotiſmos legis & Scribarum, traditiones, Illuſtrationes, Comparationes, æqualitates, Gamatrias Parabolas*, &c.

IV. Ὄρη μεθιστάνειν Hac Phraſiologia, *Impoſſibilia fere præſtare*, denotarunt, ut obſervavimus ad *Matth.* 21. 21. עקר טורי *Bava bathr.* fol. 3. 2.

CAP.

CAP. XIV.

VER. 2. ὁ γὰρ λαλῶν γλώσσῃ.

LOquens lingua? Quanam? Non futilem comperies esse hanc quæstionem, his perpensis.

I. Non est, qui cum ratione inficias iverit, totam hanc ecclesiam *Corinthiacam*, unam eandemque linguam calluisse *Corinthiacam* vel *Græcam*. Ut & agi hic ab Apostolo, de ministris istius ecclesiæ, & non de advenis. Jam vero incredibile videtur ministrum aliquem istius ecclesiæ, *Arabica*, *Ægyptiaca*, *Armenica*, Aliave quavis linguâ ignotâ publicè in ecclesia uti velle, è qua ne minimus quidem fructus vel ecclesiæ accrescere potuit vel ipsi ministro. Nam quamvis errores suos, eosque non leves haberent hi ministri, libenter tamen eos stultitiæ meræ non incusaremus, ac si linguâ ignotâ loquentes ob nullam rationem; nec ostentationis, ac si loquentes tantum ob vanam gloriam. Et quamvis non negemus necessarium fuisse ut dona ista miranda Spiritus sancti, coram omni populo manifestarentur in honorem largientis, at vix credimus quod inaniter & in nullum commodum.

II. Dicit Apostolus *ver.* 4. ὁ λαλῶν γλώσσῃ ἑαυτὸν οἰκοδομεῖ: quod quî facere potuit, ex istis linguis, cum potuerit ipsissima eadem vernaculè protulisse, atq; eundem sibi messuisse ædificationis fructum?

III. Tolerat Apostolus linguam ignotam, si adesset interpres: At vix credo tolerare eum, ut quis garriret, *Scythicè*, *Parthicè*, *Arabice*, *&c.* cum ipse potuerit eadem *Corinthiace* protulisse: & absque molestia ecclesiæ & interpretis.

Opinamur ergo, nec sine ratione, linguam istam ignotam quâ usi sunt isti, vel abusi potiùs, in ecclesia fuisse linguam *Hebræam*: quæ jam olim à communi & vernaculo usu desueverat, at jam donante Spiritu sancto reddita est ministris ecclesiæ, idq; necessario

neceſſariò atque in commodum eccleſiæ. Non quærimus quot linguis ignotis loqui potuerint, ſed quot in eccleſiâ fuerint loquuti, & credimus quod *Hebræa* tantum.

Quam neceſſaria fuerit lingua iſta miniſtris, non eſt qui dubitet. Et hinc eſt quod Apoſtolus permittit loqui linguâ [hâc ut opinamur] ignotâ, ſi afforet interpres, quia non caruit ſuâ utilitate. Utilitas inde emerſit tum loquenti, dum linguam jam calleret & profundiùs intelligeret originalem; tum etiam audientibus, dum vere redderentur ea quæ myſtica iſta & ſacroſancta lingua in ſe contineret.

Fundamenta jam jaciebantur eccleſiarum, & religionis in eccleſiis, & non minima pars penſi miniſterialis, tunc temporis erat, Doctrinam Evangelicam, & perſonam & actiones & paſſiones Chriſti aſtruere è veteri teſtamento: jam vero textus originalis erat vulgo ignotus, verſio lxx interpretum, erat in locis infinitis mendoſa, *Targum* in prophetas vagum & Judaizans, *Targum* in legem adhuc omnino nullum, ita ut impoſſibile foret, mentem Dei in textu ſacro pandere, abſque dono immediato ſpiritus peritiam & linguæ & ſenſus perfectam plenamque impertiente: ut inde jacerentur fundamenta fidei ex ſcripturis, & propagaretur verus ſcripturarum ſenſus abſque vel errore, vel humano commento.

Dicit Apoſtolus, *Oret ut interpretetur*, *ver.* 13. Et interpretatio numeratur inter dona ſpiritûs extraordinaria. Jam vero, ſupponatur eum *Latine*, *Arabice*, *Perſice* loquutum: vel ipſe intellexit ea quæ loquutus eſt vel non: ſi non, tum quam longe ille ab ædificando ſeipſum? & tamen dicit Apoſtolus ὁ λαλῶν γλώσσῃ ἑαυτὸν οἰκοδομεῖ. Si intellexit, tum quam facile ei erat ea reddere *Corinthiacè*! Sunt plurimi jam ſtudio docti qui poſſunt linguas iſtas in *Corinthiacam* vel *Græcam* transferre abſque extraordinario iſto dono interpretationis immediate effuſo à Spiritu ſancto. At ſupponatur illud quod nos ſupponimus, loquutum eum lingua *Hebræâ*, textum ſacrum lingua originali

ginali vel legisse, vel citasse, & Phrasiologiis Prophetarum vel concionatū fuisse vel precatū, ad interpretationem satis non erat, nuda verba nudis verbis reddere, sed sensū & medullā linguæ Propheticæ intelligere, & verbis aptis vivacibus & secundū mentem dei selectis, mysteria eorum plane & plenè enucleare: quod divinâ arte faciūt Evangelistæ & Apostoli in scriptis suis.

Audi judiciū Judæorū de justa interpretatione textus Sacri.

In *Bab Kiddushin*, fol. 49. 1. Agitur de modo desponsandi fœminam. Inter alia hæc occurrunt. תרעל מנת שאני קריינא *Tradunt Rabbini, si dicat, Desponsator tu mihi, si ego legero: Si tres versiculos legerit in Synagoga, ecce ea desponsatur.* R. Judah *dicit, Non, Donec legat & interpretetur.* יתרגם מרעתיה *An interpretari licet ex sensu suo? At traditio hæc est,* R. Juda *dicit* המתרגם פסוק כצורתו *Ille qui interpretatur versum secundum formam suam, ecce est mendax. Si quid ei addat ecce est convitiator & blasphemus: Quodnam ergo Targum?* Vel qualis adhibenda interpretatio. *Targum nostrum.*

Glos: המתרגם פסוק כצורתו *Qui interpretatur versum secundum formam suam, id est, secundum sonum literalem.* Exempli gratia לא תענה עך ריב Exod. 23. 2. *Qui interpretatur* לא תסהיר על דינא *Non testaberis contra judicium mendax est: Nam præcipit, ut producatur judicium* in lucem. Sic autem interpretetur. Non cohibebis te à docendo *quempiam à te quærentem in judicio.* Sic reddit *Onkel:*

Si quid addat ei] *Si dicat, Quia datur licentia aliquid addendi, ego addā ubicunq; libuerit ille vili pendit Deū, & verba ejus immutat. Nam Onkelos ubicunq; addidit, non addidit de sensu suo. Nam Targū istud datū est in mōte Sinai, & cum ejus obliti forent, venit ille & restituit. Et* Rab. Chananeel *verba ista, Qui interpretatur versum secundum formam suam explicat per hoc exemplum:* ויראו את אלהי ישראל Exod. 24. 10. *Qui sic reddiderit* וחוו ית אלהא דישראל *Et viderunt Deum Israelis mendax est, Nam nemo Deum viderit & vivet. Et ille ei addet*

qui

qui reddiderit וחזו ית מלאכא דאלהא *Et viderunt Angelum Dei. Nam gloriam Dei tribuit Angelo. At ſic interpretur* וחזו ית יקרא דאלהא *Et viderunt gloriam Dei Iſraelis.* Sic *Onkel* iterum.

Tam grande opus reputant, interpretari textum ſacrum: & hæc quæ dicta ſunt, lucem forſan aliquam præbebunt circa donum interpretationis.

Quamvis autem tam utilis neceſſariuſque foret linguæ *Hebraæ* uſus, apud hos miniſtros, erat tamen & abuſus aliquis quem caſtigat Apoſtolus, nempe quod eâ uterentur non in ædificationem, & abſque interprete: & dum preſſiùs porro rem intueor, Suſpicor eos in hac re Judaizaſſe quod & in aliis rebus eos feciſſe obſervavimus ante: atque uſum linguæ *Hebraæ* quamvis vulgo ignotæ, in eccleſia retinuiſſe, conſuetudinem Sequutos Synagogæ. Ubi

I. Non lecta eſt Scriptura niſi in textu Hebræo: Imo ut nos credimus in Synagogis etiam *Helleniſtarum*: ut de iſta re diſputamus alibi.

II. Orationes publicæ in Synagogis, fuſæ etiam ſunt *Hebraicè*, una aut alia exceptâ quæ *Chaldaice*.

Gloſs in *Beracoth.* fol. 3. 1. *Soliti ſunt recitare orationem cujus initium* קריש *poſt concionem: Nam aderat ibi vulgus, qui non intellexit linguam Sanctam: Hanc ergo orationem compoſuerunt linguâ Chaldaicâ ut omnes intelligerent*: cæteras non intellexerunt.

III. Is qui è Cathedra docuit vel concionatus eſt. *Hebraice* locutus eſt, & per interpretem.

Gloſs in *Joma* fol. 20. 2. *Aſtitit interpres coram Doctore qui concionatus eſt* חכם לוחש לו לשון עברית *Et doctor inſuſurravit ei in aurē Hebraice. Atq; ille populo reddidit vernacule.*

Et refertur ibi hiſtoria in *Gemara*, de *Rabh.* qui aſtitit interpres *R. Shillæ*; cumque *R. Shilla* diceret קרא גבר *Canit Gallus. Rabh.* reddidit קרא גברא cum reddendum foret קרא תרגגולא

Hinc

Hinc mentio frequentiſſima in paginis Talmudicis de אמוריה מתרגמניה של פלוני & של פלוני *Interprete hujus & illius Doctoris.*

Dum hæc cogito uſitata in Synagogis Judæorum meminique magnam partem eccleſiæ *Corinthiacæ* conſtitiſſe ex Judæis, non poſſum non Suſpicari & miniſtros eorum, eâdem linguâ uſos, pro veteri more. Hunc nempe legiſſe ſcripturam ex textu *Hebræo*, illum oraſſe, vel concionatum eſſe lingua *Hebraâ*, pro conſuetudine uſitata in Synagogis. Quam rem quidem tolerat Apoſtolus, modo adſit interpres, uti etiam in Synagogis eſt factum, quia lingua iſta myſteriorum plena, per idoneum interpretem reddita, quam plurimùm conferre potuit ad ædificationem eccleſiæ.

Suſpicor etiam eos Judaizaſſe in confuſa vocum ſuarum commixtione, quod videtur ab iis factum, ex eo quod monet Apoſtolus, ut loquantur *viciſsim. ver.* 27. & non mixtim: unde autem confuſionem iſtam haurire potuerint, ex his judica.

Megill: fol. 21. 2. *Tradunt Rabbini. In lege unus legit; & unus interpretatur. Et ne unus legat & duo interpretentur. Aſt in Prophetis unus legit, & duo interpretantur. At ne duo legant, & duo interpretentur. Atque in Hallel, & in libro Eſtheræ decem legere poſſunt, & decem interpretari.*

Gloſs: *Ne unus legat in lege, & duo interpretentur: Multo minùs duo legant. Ratioque eſt quia duæ voces ſimul non audiuntur. At in Prophetis unus legat & duo interpretentur, quia interpretatio erat fœminarum & plebis gratiâ, quæ non intellexerunt Linguam Sanctam. Atque neceſſe erat ut auſcultarent interpretationi legis ut intelligerent præcepta. At vero de interpretatione Prophetarum, non erant adeo accurati.*

ὁ δὲ προφητεύων.

Vocabulum προφητεύειν tria comprehendit, *Pſalmodiam, Doctrinam & Revelationem:* Ut *ver.* 26.

I. *Prophetare*, ſumitur pro *Pſallere* vel laudes Dei celebrare.

1 *Sam.*10.5. Occurret tibi chorus Prophetarum cum tympano, tibia & cithara, והמה מתנבאים *Et ipſi Prophetabunt* ubi *Chald.* ואינון משבחין *Et ipſi Pſallent vel laudabunt.* Et cap. 19.24,25. ויפשט מיזל ומשבח *Et perrexit pſallens. Et exuit veſtem ſuam* [regalem] ושבח *& cantavit.*

Ex hac vocis *Prophetandi* ſignificatione, intelligas quo ſenſu fœmina dicatur *Prophetare* cap. 11. 5. hoc eſt *Pſallere.* Nam quod illic ab Apoſtolo dicitur *vir orans aut Prophetans*, & *Fœmina orans aut Prophetans* hoc capite explicatur, cum dicit, *Orabo & Pſallam.*

II. *Prophetare* eſt concionari, vel *doctrinam habere* ut *ver.* 26. Hinc Chaldæus נביא *Prophetam* ſemper fere reddit ספרא *Scribam*, vel doctum, docentem.

Cum vulgatiſſimè de iis qui donis extraordinariis inſtructi erant dicatur, quod *Linguis loquuti ſunt & Prophetarunt*, In *Act.* 10. 46. dicitur quod *linguis loquuti ſunt & magnificârunt Deum.* Pro *Prophetârunt* dicitur *magnificârunt Deum:* idque hiſce duobus modis: vel laudando Deum vel prædicando & magnalia Dei enuntiando, *Act.* 11. 11.

III. *Prophetare*, eſt aliquid ex divina revelatione prædicere vel docere quod *ver.* 26. profertur, *Revelationem habet.* Temporibus iſtis erant qui ſpiritu revelationis afflati, vel futura prædicerent, ut *Agabus* famem, *Act.* 11. 28. & vincula *Pauli*, *Act.* 21. 10. vel mentem Dei eccleſiæ patefecerunt, de hac aut illa re agenda aut non agenda, ut *Act.* 13. 2. Prophetis *Antiochenis* Segregent *Paulum* & *Barnabam*, &c.

VER. 5. Θέλω δὲ πάντας ὑμᾶς λαλεῖν γλώσσαις.

Non tam optantis eſt, quam dirigentis. Ac ſi dixiſſet. Non reſtringo vos ad Prophetandum ſolum, utcunque ea dixerim quæ *ver.* 1, 2, 3. ſed volo & hortor, ut loquamini linguis cum conve-

convenit, at magis ut Prophetetis. Dixerat antea *lingua* numero singulari *ver.* 2. 4. quia loquebatur de homine singulari, jam dicit *linguis* numero plurali, ipsissimo eodem sensu, nisi quod loquatur de pluribus loquentibus.

Num ergo hoc vult vel suadet Apostolus, vel optat, si sit optio? Velim vos omnes lingua, *Punicâ*, *Ægyptiaca*, *Æthiopica*, *Scythicâ* aliisque ignotis in ecclesia loqui? Cogita serio cuinam hoc potuerit esse fini. At si de *Hebræa* intelligas, finis patet.

VER. 15. Τί ἐν τοῦτο;

Apostolus Græcè reddit Phrasiologiam מהו Scholis tritissimam.

Bab. Chetubb. fol. 39. 1. *Interrogavit Rabba* Τὸν *Abai* בא עליה ונתארסה מהו *Ingreditur vir ad fœminam cum desponsatur quid tum?* Vel quid in ista causa est statuendum?

Ibid. fol. 61. 1. *Uxor dicit, lactabo infantem, at maritus dicit, non lactabis: Auscultant fœminæ. At maritus dicit, ut lactet, & uxor Non:* מהו *Quid tum agendum?*

Bava Mezia. fol. 24. 2. *Incedit quis in platea atque invenit crumenam* מהו *Quid ei agendum? Ecce ei cedit. At venit Israelita & signa ejus aliqua dat* מהו. Τί τοῦτο *quid tum est statuendum?*

Jevamoth. fol. 25. 1. ילמדנו רבינו *Doceat nos magister noster* כהן בעל מום מהו שישא את כפיו *Sacerdos labe tactus* Τί τοῦτο *ut elevet manus*, ad benedicendum populo? i. e. quid de eo statuendum? an elevet manus necnè? Et sequitur ubique quæstionis determinatio.

In eundem sensum Apostolus hoc in loco Τί τοῦτο ἐστιν; Quid ergo agendum est in hac causa circa usum linguæ ignotæ? Determinat. *Orabo Spiritu, & orabo intelligentiâ.*

Sic *ver.* 26. Τί οὖν ἐστιν ἀδελφοί; *Quid in hâc causa est agendum cum unusquisque Psalmum habet, doctrinam habet, &c.* Determinat. *Omnia fiant in ædificationem.*

Προσεύξομαι τῷ πνεύματι, &c.

Orabo ſpiritu, i. e. in demonſtratione donorum ſpiritualium. Et *Orabo intelligentia*, i. e. ut intelligar ab aliis.

VER. 16. Ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τῶν ἰδιώτων.

הריוט: Vox Rabbinis uſitatiſſima:

Bab Mezia: fol. 104. 1. ר מ הירח דורש לשון הריוט *R. Meir expoſuit* vel determinavit, *ſecundum linguam privatam. Sic & R. Juda. Et Hillel ſenex. Et R. Jochanan ben Korchah*, &c. Gloſs: *Soliti ſunt privati ſcribere aliter quam ſecundum normam ſapientum.* Illic חכם & הריוט *Sapiens* & Ἰδιώτης opponuntur.

Sic opponuntur כהנים הריוטין *Sacerdotes privati*, Sacerdotibus ordinis dignioris: Et quod obſervavimus ante, הריוטין Ἰδιῶται, opponuntur לריינין *Judicibus*.

In 1 *Sam.* 18. 23. איש רש ונקלה *Homo pauper & contemptibilis* Targumiſtæ eſt נבר מסכן והריוט

Secundum hanc vocis Ἰδιώτης apud Judæos acceptationem, contradiſtingui hoc in loco ab Apoſtolo videntur membra eccleſiæ à miniſtris. Privati à publicis. Sic in variis iſtis Φεραπείαις Liturgiam Paſchalem celebrantibus, erat unus qui benedixit, recitavit, diſtribuit, & quaſi publicum egit pro iſta vice et occaſione miniſtrum, & reliqui omnes erant Ἰδιῶται vel privati, ita etiam in Synagogis; *Angelus eccleſiæ*, publico functus eſt miniſterio, & reliqui erant ut privati. Erant quidem inter eos, qui revera non erant privati, ſed judices & magiſtratus, & docti, at quoad præſentem iſtam actionem ἀναπλήρων τὸν τόπον: quod non de ſeſſione in ſedilibus inferioribus intelligas, ſed de præſenti eorum capacitate: Supplerunt locum, vel ſuſtinuerunt conditionem privatorum, quoad actionem præſentem, ut hominum contradiſtinctorum à publico miniſtro. Ἰδιώτης quidem occurrit

pro

pro plebeio, aut indocto, *ver.* 23. quod tamen nequaquam impedit quo minùs hoc in loco ſumatur ſenſu allato.

Πῶς ἐρεῖ τὸ Ἀμήν, &c.

Unius erat orare, vel gratias agere, Omnium reſpondere *Amen.*

Beracoth cap. 8. hal. 8. *Reſpondent Amen poſt Iſraelitam benedicentem, non poſt Cuthæum*, &c. At

Hieroſ. Berac. fol. 12. 3. *Non reſponderunt* אמן יתומה *Amen Orphanum* ולא אמן חטופה *Nec Amen raptum*, &c.

Amen Orphanum, erat cum diceretur *Amen*, atque is qui dixit non perpendit, aut novit quare, vel ad quid ſic reſponderet. Eodem ſenſu eſt מזמורא יתומא *Pſalmus Orphanus* in *Bab. Avodah. Zarah.* fol. 24. 2. id eſt Pſalmus cui nec nomen authoris inſcribitur, nec occaſio compignendi. יתמא Talmudicis aliquando eſt *fatuus*, vel imperitus; ſic eſto ſi placet in hiſce Phraſiologiis: Tale eſt *Amen* de quo Apoſtolus hoc in loco cum ſcilicet quis *Amen* reſponderet fatuè, rei non intellectæ.

Ver. 21 Ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται.

In lege: id eſt *In ſcriptura*: In Antitheſi ad דבריהם *verba Scribarum.* Nam uſitatiſſima erat iſta diſtinctio in ſcholis. זה מתורה *Hoc diſcimus ex lege*, & זה מדבריהם *Hoc ex verbis Scribarum.*

Toſapht: in *Jevamoth* cap. 1. דברי תורה אין צו"כין חיזוק *verba legis* [i.e. Scripturæ] *non opus habent confirmatione.* דברי סופרים צריכין חיזוק *At verba Scribarum opus habent confirmatione.*

In *Bab. Sanhedr.* fol. 91. 2. Prophetæ priores, & poſteriores, & Hagiographa ſingulatim inſigniuntur nomine legis, ita ut ulteriori illuſtratione non ſit opus.

Unde aſtruitur reſurrectio mortuorum è lege? Ex verbis iſtis או יבנה בנה לא נאמר *Joſu.* 8. 30. *Tunc ædificabit, non dicitur*

Προσεύξομαι τῷ πνεύματι, &c.

Orabo ſpiritu, i. e. in demonſtratione donorum ſpiritualium. Et *Orabo intelligentia*, i. e. ut intelligar ab aliis.

VER. 16. Ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου.

הריוט: Vox Rabbinis uſitatiſſima:

Bab Mezia: fol. 104. 1. ר מ הירח דורש לשון הריוט *R. Meir expoſuit* vel determinavit, *ſecundum linguam privatam. Sic & R. Juda. Et Hillel ſenex. Et R. Jochanan ben Korchah*, &c. Gloſs: *Soliti ſunt privati ſcribere aliter quam ſecundum normam ſapientum.* Illic חכם & הריוט *Sapiens* & ἰδιώτης opponuntur.

Sic opponuntur כהנים הריוטים *Sacerdotes privati*, Sacerdortibus ordinis dignioris: Et quod obſervavimus ante, הריוטות ἰδιῶται, opponuntur לריינין *Judicibus.*

In 1 *Sam.* 18. 23. איש רש ונקלה *Homo pauper & contemptibilis* Targumiſtæ eſt גבר מסכן והריוט

Secundum hanc vocis ἰδιώτης apud Judæos acceptationem, contradiſtingui hoc in loco ab Apoſtolo videntur membra eccleſiæ à miniſtris. Privati à publicis. Sic in variis iſtis Θεσπεσίαις Liturgiam Paſchalem celebrantibus, erat unus qui benedixit, recitavit, diſtribuit, & quaſi publicum egit pro iſta vice et occaſione miniſtrum, & reliqui omnes erant ἰδιῶται vel privati, ita etiam in Synagogis; *Angelus eccleſiæ*, publico functus eſt miniſterio, & reliqui erant ut privati. Erant quidem inter eos, qui reverâ non erant privati, ſed judices & magiſtratus, & docti, at quoad præſentem iſtam actionem ἀναπλήρων τὸν τόπον: quod non de ſeſſione in ſedilibus inferioribus intelligas, ſed de præſenti eorum capacitate: Supplerunt locum, vel ſuſtinuerunt conditionem privatorum, quoad actionem præſentem, ut hominum contradiſtinctorum à publico miniſtro. ἰδιώτης quidem occurrit

pro

pro plebeio, aut indocto, *ver.* 23. quod tamen nequaquam impedit quo minùs hoc in loco ſumatur ſenſu allato.

Πῶς ἐρεῖ τὸ Ἀμήν, &c.

Unius erat orare, vel gratias agere, Omnium reſpondere *Amen.*

Beracoth cap. 8. hal. 8. *Reſpondent Amen poſt Iſraelitam benedicentem, non poſt Cuthæum*, &c. At

Hieroſ. Berac. fol. 12. 3. *Non reſponderunt* אמן יתומה *Amen Orphanum* ולא אמן חטופה *Nec Amen raptum*, &c.

Amen Orphanum, erat cum diceretur *Amen*, atque is qui dixit non perpendit, aut novit quare, vel ad quid ſic reſponderet. Eodem ſenſu eſt מזמורא יתומא *Pſalmus Orphanus* in *Bab. Avodah. Zarah.* fol. 24. 2. id eſt Pſalmus cui nec nomen authoris inſcribitur, nec occaſio compignendi. יתמא Talmudicis aliquando eſt *fatuus*, vel imperitus: ſic eſto ſi placet in hiſce Phraſiologiis: Tale eſt *Amen* de quo Apoſtolus hoc in loco cum ſcilicet quis *Amen* reſponderet fatuè, rei non intellectæ.

Ver. 21 Ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται.

In lege: id eſt *In ſcriptura*: In Antitheſi ad דבריהם *verba Scribarum.* Nam uſitatiſſima erat iſta diſtinctio in ſcholis. זה מתורה *Hoc diſcimus ex lege*, & זה מדבריהם *Hoc ex verbis Scribarum.*

Toſapht: in *Jevamoth* cap. 1. דברי תורה אין צריכין חיזוק *verba legis* [i.e. Scripturæ] *non opus habent confirmatione.* דברי סופרים צריכין חיזוק *At verba Scribarum opus habent confirmatione.*

In *Bab. Sanhedr.* fol. 91. 2. Prophetæ priores, & poſteriores, & Hagiographa ſingulatim inſigniuntur nomine legis, ita ut ulteriori illuſtratione non ſit opus.

Unde aſtruitur reſurrectio mortuorum è lege? Ex verbis iſtis אז יבנה בנה לא נאמר *Joſu.* 8. 30. *Tunc ædificabit, non dicitur*

dicitur [tempore præterito] sed יבנה ædificabit [temp. fut.] מכאן לתיית המתים מן התורה. *Hinc astruitur resurrectio mortuorum è lege.*

Unde astruitur resurrectio mortuorũ è lege? Inde quod dicitur Beati sunt qui habitãt in domo tua עוד יהללוך *Te semper laudabũt.* [Psal. 84.4.] הילליך לא נאמר *Non dicitur te laudant: sed* יהללוך *Te laudabunt. Hinc astruitur resurrectio mortuorũ è lege.*

Unde astruitur resurrectio morturoum è lege? Inde quod dicitur vocem suam efferent vigiles tui קול יהדיו ירננו *voce cantabunt simul.* [Esai. 52. 8.] רינגו לא נאמר *Cantant non dicitur, sed* ירננו *Cantabunt. Hinc astruitur resurrectio mortuorum è lege.*

En tibi Prophetas priores insignitos nomine *Legis* inter quos liber *Josuæ*, & Posteriores inter quos liber *Esaiæ*; & Hagiographa inter quæ *liber Psalmorum.*

VER. 26. Ἕκαστος ὑμῶν ψαλμὸν ἔχει.

Id est, Cum convenitis in unum, hic vult tempus cultumque insumi maximè in Psalmodia, ille in concionando, &c. Hic Psalmodiam præfert, ille linguam, ille prædicationem, &c.

VER. 27. Κατὰ δύο ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς.

Usum linguæ ignotæ, ut vides, permittit Apostolus, & quæro ego iterum cujusnam? Observetur illud quod dicit. *ver.* 22. *Linguæ sunt in signum, non iis qui credunt, sed iis qui non credunt*, & nisi probaveris fuisse in ecclesia eos qui non crederent quod implicat, vix crediderim ego permisisse eum linguarum ignotarum usum sub aliqua tali notione, præsertim vero cum immediatè antea dixerat, *fiant omnia in ædificationem.* At suppone quod nos supponimus de lingua Hebræa, & res quadrabit.

Dicit de seipso sanctissimus hic noster, cap. 9. 20. *Judæis factus sum Judæus ut lucrarer Judæos*: quod & hic ab eo factum videtur, at nec hic, nec uspiam alibi, nisi in ædificationem, &

ut

ut eos lucretur. Ablactari noluerunt illi à veteri consuetudine Synagogæ, quoad usum linguæ Hebrææ in sacris, & impræsentiarum, placitum eorum is iis indulget; nec inaniter, cum ex usu istius linguæ ædificari possent auditores astante fido interprete: quod in aliis linguis fieri non potuit quicquam magis, quam si linguâ *Corinthiacâ* omnia fuissent prolata.

Si linguâ quis loquatur, fiat per binos, &c. Unus legat scripturam linguâ Hebræa, alter oret, tertius concionetur: Nam secundum has species cultus divini optimè distribuas personas, non ut omnes eandem rem agant.

VER. 29. Προφῆται δὲ δύο ἢ τρεῖς λαλείτωσαν.

Unus psallat qui ψαλμὸν ἔχει; Alius doceat qui διδαχὴν ἔχει: & si tertius παράκλησιν, vel οἰκοδομὴν ἔχει ut *ver.*3. & is proferat.

VER. 30. Ἐὰν δὲ ἄλλῳ ἀποκαλυφθῇ καθημένῳ.

Frequentissimum est illud de doctoribus Judæorum ישב הירא *Sedit*, quod non tam hoc nude sibi vult *Fuit sedens*, quam *Docuit è sede docentis*. Vel *sedit docens* vel docturus. Ita ut quidem, *Sedit* & *docuit* converterentur. Exempla apud Talmudicos sunt infinita. Eodem sensu Apostolus: Si cui ministro, qui inter eos qui docent sedem habet quicquam sit revelatum, &c. Non revelatum eo ipso instante, sed si dicat se accepisse revelationem, aliquam à Deo tum ὁ πρῶτος σιγάτω, sileat is qui ψαλμὸν ἔχει & huic cedat.

VER. 35. Αἰσχρὸν γάρ ἐστι γυναιξὶν ἐν ἐκκλησίᾳ λαλεῖν.

Confer illud.

Megillah. fol. 23. 1. *Tradunt Rabbini* הכל עולין למנין שבעה *Quilibet connumeratur intra numerum septem* [istorum qui legerunt legem in Synagogis Sabbato] אפילו קטן אפילו אשה *Etiam puerulus, etiam fœmina. Verum dicunt sapientes, Mulier ne legat in lege* מפני כבוד צבור *propter honorem*

norem Synagogæ. Nota illud: Dedecori erat eccleſiæ, ſi fœmina in ea legeret, quod vel puerulo, vel etiam ſervo permiſſum. Multo magis ſi eapartem aliquam muneris miniſterialis uſurparet. Uſitatum etiam erat ut hic aut ille aſſidens, docentem interrogaret de hoc aut illo articulo; at & hoc etiam fœminis prohibet Apoſtolus, idque ſub hac ratione, *quia fœminis non permittitur loqui, ſed ut ſubditæ ſint viris*, ver. 34. Permiſſum eſt iis reſpondere *Amen* cum aliis, & cantare cum eccleſia, at aliquid ſeorſim loqui prohibitum.

CAP. XV.

VER. 5. Καὶ ὅτι ὤφθη Κηφᾷ.

PRoficiſcenti ſcilicet *Emmaunta*: Vide quæ diximus ad *Marc.* 16.

VER. 6. Ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ.

In *monte Galilææ, Mat.* 28. 16. Ubi additur ab Evangeliſta οἱ δὲ ἐδίστασαν: quod cautiùs intelligendum: Non quod quidam ex undecim jam tum de ejus reſurrectione dubitarent, nam & ipſe *Thomas* antea crediderat: ſed quod nonnulli de cœtu iſto, cum undecim ibi congregato, dubitarent. Comma ergo iſtud, non ſolum congruum, ſed & neceſſarium eſt, ut reddas: *Videntes autem eum* [undecim diſcipuli] *adoraverunt eum, alii vero dubitarunt.* Non *quidam* ex undecim, ſed *alii* de cœtu.

VER. 7. Ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ.

Cuinam *Jacobo? Zebedæi*, filio, an *Alphæi?* Probabilius eſt *Alphæi Jacobum* intelligendum; & quod in vivis is jam foret cum *Paulus* hæc ſcriberet: & quod videatur *Apoſtolus* ex inſtituto

stituto agere de apparitione Christi exhibita *Petro* & *Jacobo* ministris circumcisionis, & sibi ipsi ministro præputii: vid: historiam de Jacobo quodam, discipulo ut vocatur, *Jesu Avodah Zarah.* fol. 16. 2. & 27. 2.

VER. 8. Ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, &c.

נפל *Job* 3. 16. Septuaginta interpretibus, est Ἔκτρωμα: & quod notandum, reddunt illi, נפל טמון Ἔκτρωμα ἐκπορευόμενον ἐκ μήτρας μητρός: cum vox טמון videatur potius contrarium denotare: nempe eum nunquam ex utero matris exiisse, sed illic semper abscondi: Sic Chald נפלא דטמוע במעיניא

Hinc vox מפלת Talmudicis usitatissima pro fœmina abortiente. *Cherithuth.* cap. 1. hal. 3. המפלת כסין בהמה חיה ועוף *Fœmina abortiens* & pariens, *in figura, jumenti, feræ, aut avis.* השפלת סנדל או שליא ושפיר מרוקם: *Abortiens* & pariens, *Sandalium Secundinam aut molam figuratam,* &c. *Numer.* 12. 12. ὡσεὶ ἔκτρωμα ἐκπορευόμενον ἐκ μήτρας μελεὸς, καὶ καταδίει τὸ ἥμισυ τῶν σαρκῶν αὐτῆς.

Quasi diceret Apostolus: Quantum ego ab Apostolo? Quantum massa aliqua informis deformisve, abortivo partu edita, differt à forma humana. Aptiùs, ni me fallat conjectura, clariusque verba *Anglice* reddas, *As to a thing born out of due form,* quam ut redduntur, *As to one born out of due time.* Παιδίον μὴ ἐξεικονισμένον lxx. in Exod. 21. 22.

VER. 20. Ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων.

Quamvis resurrectio Christi cum quibusvis primitiis comparata, harmoniam cum iis habeat optimam, maximè tamen convenit cum oblatione manipuli עומר vulgò dicti, non solùm quoad rem ipsam, sed & quoad circumstantiam temporis: Nam primò erat Pascha: & dies insequens erat Sabbaticus: & die istum insequenti offerebantur istæ primitiæ. Sic *Pascha nostrum*

Christus est *crucifixus*. Dies crucifixionem ejus insequens erat Sabbatum: & die illud insequenti resurrexit ille *primitiæ dormientium*.

VER. 29. Οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν.

I. Hoc sensu verba optimè intelligas, *Alioquin quid facient illi qui subeunt martyrium, & baptizantur eo sensu quo Baptismus mortem denotat per martyrium, si omnino mortui non resuscitantur:* Nam

I. *Baptismum* pro martyrio sumi, patet satis *Mat.* 20, 22, 23.

II. Vide quam optime huic sensui conveniat connexio commatis insequentis. Quid facient illi qui martyrium subierunt subeuntve, si non sit resurrectio? Τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν; *Et quare nos etiam indies atque omni momento periclitamur ad martyrium?*

III. Arguit à morientibus in Christo, id est *in* fide Christiana, *ver.* 18. & num credas omittere eum velle argumentum à morientibus *pro* fide Christiana?

IV. Dicit Τί ποιήσουσιν; non πάσχουσιν; Non quid sibi volunt vel denotant, vel significant per hoc quod baptizantur, &c. Sed *quid facient*, aut quid de illis fiet? corpora sua tradiderunt martyrio, & quid de illis fiet si corpora non resurgant? Sic *Hierem.* 5. ult. מה תעשו לאחריתה *Quid facietis in fine*, id est, quid de vobis fiet.

Non latet in verbis quoad hunc sensum quem proponimus scrupulus aliquis, nisi in Phrasiologia ὑπὲρ τῶν νεκρῶν: quam illustremus pari.

Baptizarunt Judæi proselytum גר לשם sub notione vel in nomine proselyti; & servum manumittendum משוחרר לשם sub notione vel in nomine libertini. Jam vero cum diceretur, *N. baptizatus est* גר *in proselytum. N. baptizatus est* משוחרר *in libertinum*, Nonne apte hæc Græce proferuntur ὁ δεῖνα βαπτίζεται ὑπὲρ προσηλύτου· ὑπὲρ ἐλευθέρου.

II. Si

II. *Si alienior videatur redditio vocis* ὑπὲρ *hoc ſenſu, Supponatur Apoſtolum loqui de ablutione & purificatione Judæis inſtituta poſt contactum mortui, & erit redditio propinquior. Super eam legem ſic* R. Bechai. *Qui tangit mortuum purificandus eſt aqua purificationis cum cineribus ſcilicet vaccæ rufæ: quæ purificat pollutum à mortuo. Unde ortus eſt nobis mos lavandi manus quando venimus à mortuo* רמז למי פרה *quod innuit aquam vaccæ rufæ* והוא גם כן רמז לתחיית המתים *Atqui innuit etiam reſurrectionem mortuorum.* Quonam autem illud modo? Audi Zohar ſuper rem iſtam. fol 86. 4. *Spiritus immunditiei habitat ſuper homines propter mortuos:* מאי אסוותא *Quodnam autem eſt iis remedium? Illud quod ſcribitur* ואל עפרם ישובון *Et ad pulverem ſuum redibant, id eſt ad pulverem uſtulatæ vaccæ rufæ, quo purificantur. -- Et recedit ſpiritus immunditiei, & effunditur Spiritus alius ſanctus: Dedit Deus Iſraeli conſilium ut uterentur omnimodis remediis, quo obtineant vitam mundi futuri: ſcilicet ut puri inveniantur in hoc mundo, & ſancti in mundum futurum, De quibus ſcribitur, conſpergam ſuper vos aquam puram, & purificabimini*, Ezeh. 36.

Omittere illud non poſſumus in *Bab. Moed. Katon.* fol. 27. 2. *Ab antiquo in more fuit vaſcula baptizare ſuper fœminas in menſtruis ſuis morientes* מטבילין את כלים על גבי נדות *: de qua re erubuerunt fœminæ menſtruoſæ viventes. Statuerunt ergo ut baptizarent ſuper omnes fœminas ob honorē fœminarum menſtruoſarum viventium. Ab antiquo baptizarunt ſuper viros profluvioſos defunctos: Qua re pudefacti ſunt profluvioſi viventes. Statuerunt ergo ut baptizarent ſuper omnes viros in honorem profluvioſorum viventium.*

VER. 31. Νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν ἣν ἔχω, &c.

Illud quod aſſerit Apoſtolus hoc eſt, Se quotidie mori, hoc eſt proculcari, contemptum pati, periculum ſubire, mortem ex-

pectare. Atque hoc ita esse appello inquit vestram ô *Corinthii* gloriationem. At quonam sensu intelligenda ista gloriatio? Non gloriatio Apostoli de iis, nam tum aptius diceretur ἡμετέραν καύχησιν quam ὑμετέραν: Nec erat quidem, rebus ut tunc stantibus, cur Apostolus de iis gloriaretur. Nec intelligenda est gloriatio eorum in Apostolo, nam heu, quam nimium apud eos ille viluit! Gloriatio ergo quam innuit, erat gloriatio eorum *contra* ipsum: & hanc obtestatur appellatque. Indies inquit ego morior, spernor, proculcor periclitor: In hujus rei testimonium obtestor appelloque ipsissimam vestram contra me gloriationem: quam quidem ego pro gloriatione mea in Jesu Christo habeo. Vestrum non erat in me gloriari, at vero cum illud faciatis, ego in hoc contemptu & contumelia glorior.

VER. 32. Εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα.

Hoc est grande istud periculum de quo agit, 2 *Cor.* 1. 8, 9. quod nequaquam intelligendum, de tumultu apud *Ephesinos* per *Demetrium* excitato, nam Scripta est hæc epistola ante istum tumultum: sed secundum literam, quod Apostolus in theatro fuerit realiter objectus feris. Nec huic sententiæ obstat quod *Lucas* acta Pauli referens, historiam hanc tam memorabilem omiserit, cum & alias quam plurimas omiserat: nec quod pugnantes cum bestiis, alii forent ab objectis ad bestias, cum & posterioribus etiam foret cum iis pugnandum, aut absque ulla spe pereundum: Sed ei è contra hæc duo suffragantur.

I. Quod in tumultu *Demetrii*, Amicos se *Paulo* exhiberent *Asiarchæ*, *Act.* 19. 31. id est, Sacerdotes isti inter Ethnicos, quorum munus erat ludos theatricos edere in honorem Deorum.

Euseb. eccles. hist. lib. 4. cap. 15. Ἠρώτων τὸν Ἀσιάρχην Φίλιππον ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα. Ὁ δὲ ἔφη μὴ εἶναι ἐξὸν αὐτῷ ἐπειδὴ πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια. *Rogarunt Philippum Asiarcham* [interpres reddit

dit *Munerarium*] *ut leonem in Polycarpum emitteret: Ille verò respondit, Non licere sibi, quoniam jam ferarum certamina confecta essent.*

Iidem erant & *Phœnicarchæ*, & *Syriarchæ*, Novell. 89. ad finem, &c. Jam vero unde tandem hi *Asiarchæ* amici facti *Paulo*? An ut amplectentes Evangelium? Quare ergo adhuc *Asiarchæ*? Sed videtur potiùs *Paulum* cum bestiis commissum, mirando & stupendo aliquo modo fuisse servatum, ita ut ipsi *Asiarchæ* viso miraculo, in admirationem rei traherentur, atque in benevolentiam erga eum.

II. Quidnam aliud sibi vult Κατὰ ἀνθρωπον ἐθηριομαχησα, quam Pugnavi cum bestiis eo modo quo homines pugnant cum bestiis? vel, pugnavi cum bestiis hoc ipso corpore humano. Et quod addit Ἐν Ἐφέσῳ, clariorem adhuc reddit sensum; eumque multo magis restringit ad literam. Si enim intelligendum sic foret, Pugnavi *Epheſi* cum Demetrio & suis ac si cum bestiis, aptius longe fuisset exemplum adduxisse lapidationis suæ, in *Lystra*, *Act.* 16. 29. flagellationis suæ *Philippis Act.* 16. &c. Nam in tumultu *Demetriano Epheſi*, non comperis eum vel ictum unum, fere dixeram, vel periculum ullum, passum fuisse vel subiisse. Vim quidem aliquam passi sunt *Gaius* & *Aristarchus*, in theatrum protracti, bestiis forsan illico objiciendi, at lege relegeque totam historiam, *Act.* 19. & ne gry quidem ullius injuriæ, quam in persona sua tunc temporis passus est *Paulus*.

VER. 36. Ἄφρον.

שוטה

Glos: in *Taanith* fol. 17. 1. *Respondit Rabban Jochanan ben Zaccai Baithuseis* [resurrectionem mortuorum etiam negantibus] *& dixit* שוטים מניין לכם Ἄφρονες *unde hoc vobis*, &c.

VER.

VER. 45. Οὕτω γέγραπται, &c.

De priori non dubitatur, nam Scribitur. *Gen.* 11.7. At ubi posterius? Per totum codicem Sacrum: Inde ipsi Judæi tot & tanta, De *Spiritu Messiæ*, & de *Messia vivificante*.

Ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν.

Job 19. 25. אני ידעתי גאלי חי ואחרון על עפר יקום Videtur mihi *Jobus* hoc in loco in verbis אחרון על עפר יקום in eundem sensum loqui, cum Ὁ ἔσχατος Ἀδάμ. De priori *Adamo* dictum est, עפר אתה ואל עפר תשוב *Pulvis es, & in pulverem revertêris. Et novi ego*, inquit *Jobus, quod redemptor meus vivit, & ille exurget de pulvere alter vel posterior, & ego videbo Dominũ ex câdẽ quâ ego carne*, &c. *incarnationẽ innuens Messiæ.*

Εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν] *Spiritus Dei incubabat faciei aquarum. Gen.* 1. 2. רוח אלהים מרחפת על פני המים *Hic est spiritus regis Messiæ.* Sic Judæi, frequentissimè.

Itemque משיח עתיד ליונין ישיני עפר *Messias vivificabit dormientes in pulvere.*

Præteriri absque observatione non potest, quanam authoritate applicet *Paulus* verba ista *Psalmi* 92. *Tu in Principio Domine fundasti terram*, &c. *Hebr.* 1. 10. ad *Messiam*, ut Deitatem & dignitatem ejus astruat. At falleris, ô *Paule*, diceret Hebræus, hæc ad Deum Patrem applicanda sunt, non ad *Messiam*: Habet Apostolus quod retorqueat ex ipsa Judaicæ gentis confessione, vos agnoscitis Spiritum illum qui præsens erat & præerat creationi, fuisse *Spiritum Messiæ.*

Præteriri etiam absque observatione non debet, *Adamum*, recepta jam ab eo promissione Christi & credita, uxorem suam nominasse *Chavam* id est *vitam*: Sic lxx. Καὶ ἐκάλεσεν Ἀδὰμ τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς αὐτῆς Ζωή. *Gen.* 11. 20. Quid? illam nuncupari *vitam* quæ mortem introduxit? At sensit *Adamus*, Τὸν ἔσχατον Ἀδὰμ in promissione sibi exhibitum, esse πνεῦμα ζωοποιοῦν, & meliorem

liorem vitam introduxisse animæ, & tandem introducturum corporis. Hinc illud *Johan.* 1. 4. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν.

VER. 47. Ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ὁ κύριος.

Gen. 4. 1. *Evah* concepit & peperit *Cainum* & dixit קניתי איש את יהוה

Possedi vel obtinui Τὸν ἄνθρωπον τὸν κύριον: id est, ut ipse Dominus fiat homo. Nam sic liceat mihi vertere his nixo rationibus.

I. Quod interpretatio hæc sit sine ulla omnino torsione particulæ את imò sit secundum significationem & usum ejus maxime proprium.

II. Quod absque dubio respexerit *Evah* promissionem Christi, cum denominaret filium, sicut promissionem respexerat *Adamus* in denominatione *Evæ*.

VER. 55. Πῦ σῦ θάνατε, &c.

Hos. 13. 14. אהי דבריך מות: lxx. Πῦ ἡ δίκη σου θάνατε; Et *Ab Exr.* אהי יש אומרים הפוך כמו אידך *Sunt qui invertunt vocem* והנכון כאומרו אהי איה *ubi* אהי *ac si esset* מלכך אופא הוא *Et verò, sicut dicitur* אהי מלכך *ver.* 10. *ubi est rex tuus*, ubi Chald. אן מלכך [Non *Ero rex tuus* sed] *ubi rex tuus.*

Ita ut propriè & germanè verterint Græci interpretes & Apostolus post eos אהי πῦ.

דבריך apud Prophetam, à Targumista & Rabbinis redditur in sensum *Verbi*, at quidam, ut fatetur *Kimchius* agnoscunt sensum *Pestis*, idque meritissime, quia cum eo conjungitur vox קטב prout קטב & רבר conjunguntur *Psal.* 91. Ubi vide *Targ.* & *R. Sal*: & cum iis confer interpretes Græcos.

CAP.

CAP. XVI.

VER. 1. Περὶ δὲ τῆς λογίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους.

NI plurimum ego fallar מגבת חכמים *Hieroſolymitanis*, pari ſenſu denotat τῶν λογίων τῶν εἰς τοὺς σοφούς.

In *Horajoth*. fol. 48. 1. hæc extat hiſtoria.

R. Elitzer, R. Joſua, & R. Ahiba aſcenderunt ad Cholath Antiochiæ מגבת חכמים על עסק *negotiantes in collecta pro Sapientibus. Erat illic quidam Abba Juda, qui legem præſtitit oculo bono. In paupertatem jam redactus, cum videret Rabbinos, dejecto erat animo. Domum ſe contulit mæſto vultu. Dixit ei uxor Quare languet vultus tuus? Reſpondit, Advenerunt Rabbini, & ego quid faciam non novi. Dicit ea illi. Reliquus eſt tibi ager unus: Abi & dimidium ejus divendito, & dato illis. Quod & fecit. Cumque illi diſceſsiſſent, abiit ille aratum in dimidio agri ſui ac invenit theſaurum grandem*, &c.

Hæc libentiùs protulimus ut obſervetur, collectas in exteris regionibus inter Judæos factas fuiſſe, pro *Rabbinis* pauperioribus habitantibus Judæam, eo modo quo factæ ſunt in exteris regionibus inter chriſtianos pro Judæis pauperibus ad Chriſtianiſmum converſis in Judæa.

VER. 2. Κατὰ μίαν σαββάτων.

בחד בשבתא

I. Iſte dies ubique jam celebrabatur pro Sabbato Chriſtiano. Et quod ſine obſervatione non eſt prætereundem, quantum liquet ex ſcripturâ, nuſpiam eſt de re iſta diſputatum. Controverſum eſt de circũciſione aliiſq; Judaicæ religionis apicibus retinendis vel non retinendis, at nuſpiam quod legimus de immutatione Sabbati. Erant quidem de Judæis ad Evangelium converſis,

conversis, qui ut in aliis nonnullis rebus saporem aliquem veteris sui Judaismi retinuerunt, ita & in observatione dierum. *Rom.* 14. 5. *Gal.* 4. 10. at non rejecto aut neglecto die Dominico. Illum celebrarunt, nec quidquam scrupuli, quod apparet, de ea re agitantes, at & veteres suos dies festos retentos voluerunt: Et non disputarunt omnino an celebrandus dies Dominicus, sed an non celebrandum etiam Sabbatum Judaicum. Sic admiserunt baptismum, sed piguit non admittere etiam circumcisionem. Sic & in aliis quibusdam Judaismi articulis, non rejicientes Evangelium, sed superinducentes etiam aliquid Judaismi. *Quemadmodum ordinavi in ecclesiis Galatiæ* inquit Apostolus, *ita & vos facite, Primo quoque die hebdomadis*, &c. Et tamen de iisdem *Galatis* dicit idem Apostolus, *Dies observatis & menses*. Non quod Sabbatum Christianum respuerent, sed quod & Sabbata Judaica retinerent.

II. Authoritate suâ satis seipsum commendabat *Dies Dominicus*, nec de institutione ejus dubitari omnino potuit à conversis Gentilibus, quippe qui Sabbatum aliud norant nunquam, vel saltem agnoverant. Nec quidem à Judæis conversis, si modo *Jesum* pro vero *Messia* agnoverint: quippe quòd in scholis suis didicerant, *Messiam* novam legem laturum, prout *Moses* tulerat veterem. Illud etiam quod ab incunabulis imbiberant, *Messiam* non aboliturum instituta *Mosis*, sed altiùs provecturum, & splendidiora redditurum, quamvis scrupulum apud eos movere potuerit, de abolitione Sabbati Judaici, nullum tamen movere potuit de superinductione Sabbati Christiani.

III. In controversia ista de immutatione Sabbati, à Judaico in Christianum, quam sine causa prosequuntur nimium nonnulli, silentium illi Sacrarum paginarum de institutione diei dominicæ, pro rei negatione habent, ac si minime credenda ea foret, quia planis verbis non effertur.

Inter plurima quæ in ista causa dicuntur, nos hæc etiam pauca interseramus.

I. Sileri quidem à Sacro textu de re ista, dum struitur scena rerum Christianarum in Judæa: mentione tantum habitâ ab Evangelistis de apparitionibus Christi prima die Hebdomadæ: ea scilicet qua resurrexit à mortuis, & prima Hebdomadæ insequentis, *Johan.* 20. 26. At cum transfertur scena ad gentes, tunc apertissima ejus est mentio, hoc scilicet in loco & *Act.* 20.7. & *Apoc.* 1. 10.

II. Præcipua namque cura de mentione Sabbati hæc fuit, ut de isto Sabbato memoria foret, quod inter ecclesias Gentilitias, futurum erat, & duraturum erat in perpetuum. Et de isto, mentio fit planissime in historia istarum ecclesiarum.

III. Silentium ergo antecedens, nequaquam arguit Apostolos & Discipulos in Judea ad fidem conversos, non celebrasse diem Dominicum, vel non eum ex institutione divina coluisse, sed jure meritoque reservatur ejus mentio ad locum suum aptissimum, in historia scilicet ecclesiarum Gentilium.

Θησαυρίζων.

Hæ enim sunt veræ opes in cœlo reconditæ, &c. *Beza.* Cujus verbis ansam nobis præbentibus, addamus & hæc pauca ejusdem thematis.

Bab. Chetubb. fol. 66.2. *Accessit fœmina quædam ad Rabban Jochananem ben Zaccai, dixitque, Dignare mihi Domine alimoniam. Cui ille. Et quænam tu ô filia mea? Ego, inquit illa, sum filia Nichodemi ben Gorionis. Et ille. O filia quid fit deopibus familiæ patris tui? Respondit ea* ר לא כדין מתלין מתרי בירוש מלח ממון חסר *O Rabbi nonne hoc proverbio utuntur Hierosolymis? Sal divitiarm est earum defectus.* ואמרי לה חסד *Ast assistentes dixerunt ei, At misericordia* vel eleemosyna *est earum Sal.*

Gloss: *Quicunque vult condire divitias suas, id est efficere ut non marcescant, eroget eas in eleemosynas, & defectus divitiarum ex tali causa oriens, est earum Sallitio.*

VER.

VER. 5. Μακιδονίαν γὰρ διέρχομαι.

In partes itur de horum verborum sensu & versione: & hîc quidem vertitur totus cardo controversiæ de loco unde scripta hæc epistola.

Sunt qui in hunc sensum reddunt, *Ego sum jam pertransiens Macedoniam*, quod absque dubio fecit ille quicunque is fuit qui primus verba ista fini epistolæ attexuit, Πρὸς Κορινθίους πρώτη ἐγγράφη ἀπὸ Φιλίππων: & quod faciant illi necesse est, qui inde eam missam arbitrantur

At vulgar: & interpr. interlin: *Nam pertransibo Macedoniam*, tempore futuro, veriùs optiméque. Nam missam fuisse hanc epistolam *Epheso* fidem hæc plane faciunt, aliaque.

I. Quod *Corinthios* salutat Apostolus nomine *ecclesiarum Asiaticarum*, quod minimè eum facturum est probabile, si jam existeret ille in *Macedonia*. At detur eum quàm nuperimè ex *Asia* adventantem, Salutationes istarum ecclesiarum secum tulisse, æque improbabile est, cum illos nomine ecclesiarum *Macedonicarum*, noluisse etiam salutare.

II. Patet eum hanc epistolam scripsisse antequam perveniret in *Macedoniam*, ex iis quæ dicit epistolâ secundâ, *cap.* 11. 12, 13. & *cap.* 7. 5, 6, 7. Nam *Troade* cum non occurreret ei *Titus* quem una cum *Stephana Fortunato* & *Achaico* Corinthum miserat cum hac epistola, nec adhuc scire posset quem fructum apud Corinthios ea reportavit, acceleravit ille iter in *Macedoniam*: Atque illuc cum adveniret, nec ibi reperiret *Titum*, inquieto aliquandiu stetit animo, donec tandem adveniret *Titus* nuntius bonorum.

III. Dicit *ver.* 8. Ἐπιμενῶ δὲ ἐν Ἐφέσῳ: quasi diceret, Hîc *Ephesi* ubi jam sum permanebo usque ad Pentecosten.

VER. 8. Ἐπιμενῶ δὲ ἐν Ἐφέσῳ.

An ad tempus à se præfinitum [Pentecosten scilicet] *Ephesi* permaneret an eum citiùs inde pelleret tumultus *Demetrii*, latet in incerto. Inde pulsum excepit *Macedonia* ut refertur. *Act.* 20. Ubi quamvis inter ejus peregrinationes, nulla habeatur mentio itineris ejus ad *Corinthum*, illuc tamen est profectus, dum socii ejus præirent ad *Troada*, atque illum ibi expectarent.

VER. 9. Θύρα γάρ μοι ἀνέῳγε, &c.

Vid. *Act.* 19. 17, 18, 19, 20.

VER. 10. Ἐὰν δὲ ἔλθῃ Τιμόθεος.

Decepit hic locus eum iterum qui ὑπογραφὴν huic epistolæ suffixit; Ex cujus commento missus est *Timotheus* [redacted] cum *Stephana Fortunato* & *Achaico* epistolam perlaturus ad *Corinthios*: Non levi errore. Nam missus quidem est *Timotheus*: sed ab *Epheso* in *Macedoniam* cum *Erasto*, *Act.* 19. 22. invisurus quidem *Corinthios* in reditu suo, sed minime illuc ex instituto Apostoli missus è *Macedonia*; quod somniat ille.

Σὺν τῇ κατ' οἶκον αὐτῶν Ἐκκλησίᾳ.

Sic etiam de iis dicitur, cum *Romam* rediissent, quod ecclesiam haberent in domo suâ, *Rom.* 16. 5. Diciturque idem de *Philemone*. *Philem. ver.* 2. & vid. *Colos.* 4. 15. At quo sensu hoc intelligendum, est obscurius.

I. Forsan erant in domo *Aquilæ* nonnulli, qui cum eo commigrarant à *Roma*, pulsi inde edicto Cæsaris, atque cum eo in eadem domo dum in exilio suo forent, diversabantur. At quid tum dicendum de iis cum *Romam* rediissent ad domum suam? Itemque quid dicendum de ecclesia in domo *Philemonis*?

II. Aut

II. Aut forsan erat Aquila *hospes ecclesiæ*, qualis erat *Gaius* Corinthi, in cujus domo erant alii aliæque, muneri isti cum eo designati. Et eodem forsan officio functus est *Romæ* cum rediret. Eodemque forsan *Philemon Colossis*: atque inde illud Apostoli ad eum. *Para mihi hospitium, ver.* 22. At hæc omnia incertiora: nec est in conspectu quidem, ubi pedem figamus: Liceat ergo aliam conjecturam etiam addere.

III. Sat notum est quidnam apud Judæos fuerit בית מדרש *Beth Midrash*, *Schola Theologica* vel sacellum, & quidnam discriminis inter eam & בית הכנסת *Synagogam*.

Vocabatur autem *Beth Midrash*, etiam בי רבנן *Be Rabbanan Schola Rabbinorum*. Et quæritur in *Megill* fol. 28. 2. מאי בי רבנן ביתא רבנן *Quid est Schola Rabbinorum? Est domus Rabbinorum*. Ubi Glossa. *Quare vocant* בתי מדרשות *Scholas Theologicas Be Rabbanan? Nempe quia est domus eorum in quemlibet usum*: Agitur illic loci à Gemaristis, de Synagogis usui sacro designatis, & quousque liceat iis vel jam florentibus, vel dilapsis, quoad usus sacros antiquatis, uti ad usus communes: Et de *Beth Midrash* quæ cognata admodum Synagogæ, concluditur ut vides, quod est quasi ipsa domus Rabbini in ea docentis, & ab eo adhibenda in usum quemlibet.

Mentio בי רבנן vel *Beth Midrash* ipsaque res de qua jam agimus memoriam suscitat בי אבירן *Be Abidan* de qua Talmudici, at sensu quidem duplici varioque.

Occurrit ejus mentio in *Bab. Avodah Zarah* fol. 17. 2. Ubi denotat fanum Ethnicum.

Examinatur *R. Eliezer ben Parta à magistratu Romano, atque inter alia, ab eo hoc quæritur* מטלא אתית לבי אבירן *Quare non adiisti fanum? Respondit ille, Ego senex sum, & veritus sum mihi, ne vos me pedibus conculcaretis. Cui alter. Num unquam quisquam senex proculcatus? Evenit miraculum, nam eo ipso die proculcabatur senex quidam.* Ubi Glossa. בי אבירן *Be Abidan est domus* vel fanum *ubi comedunt & bibunt*

in

in honorem Idoli ומזבלין זיבו עז *Et stercorant stercus* [id est sacrificant] *Idolo*, &c.

Ast in *Schabb.* fol. 116. 1. occurrit sensu alio.

ספרי רבי אבירן וגו׳ *Libros* ה׳ *Be Abidan num eripiunt ab incendio aut non eripiunt?* אין ולא *Etiam &* non. i. e. aliquãdo eripiunt aliquando Non. Quinam autem fuerint libri ה׳ *Be Abidan*, edocet glossema his verbis. ספרי כתבו להם מינים להתזוכח עם ישראל *Libros scripserunt sibi hæretici disputationum contra Judæos* ומקום שמתזוכחים שם קרי ליה בי אבירן *Et locus in quo disputatur, vocatur Be Abidan.* Per *Hæreticos intelligi Christianos minime est dubitandum, & Be Abidan* hoc in loco non sumi pro fano Ethnico liquet satis ex sequentibus. *Rabb.* inquiunt, *non ivit in Be Abidan, multo minus* לבי טרפי *In fanum Ethnicum. Ramuel ivit in fanum Ethnicum, sed non ivit in Be Abidan.* Dixerunt Rabbæ, מ ט לא אתית לבי אבירן *Quare non adiisti* ה׳ *Be Abidan? Respondet ille Palma quædam est in via atque obstat mihi. Eradicabimus eam inquiunt illi. Locus ejus, ait ille, difficilis est mihi.* Gloss: *veriti sunt Rabb & Rabba ire in Be Abidan, ne inter disputandum insurgerent in eos, atque interimerent.*

Et jam ut ad rem nostram redeamus: Quid prohibet quo minus opinemur, Dominum Aquilæ Ephesi Romæque, Philemonisque Colossis, tali usui inserviisse, prælectionibus scilicet aliquando sacris, & disputationibus vel cum Judæis vel inter Christianos. Non quòd negligeretur publica conventio in ecclesia, sed quòd numerus aliquis ex ecclesia, forsan totus cœtus ministrorum, doctorumque huc conveniret, reliquique qui ad mysteria Evangelica magis anhelarent: ubi tractabantur articuli atque apices fidei obscuriores, & disputatum est si res efflagitaret, vel inter se vel contra Judæos.

VER.

VER. 22. Εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἤτω Ἀνάθεμα Μαραν ἀθά.

Vox *Anathema* idem quidem sonat quod Hebræis חרם uti copiosissimè videre est [ut exempla omnia alia omittamus] apud lxx interpretes, in capite ultimo Levitici cum Hebræo collatos.

Et sumitur quidem vocabulum triplici potissimum sensu in scriptura sacra, quod annotat Author *Aruch* in voce חרם idque ex authore *Tosaphtoth* ad tractatum *Erachin* cap. 4.

1. חרמי כהנים *Anathema vel devotum sacerdotibus*, hoc est aliquid quod sacratum Deo, necessario cesserit Sacerdotibus. *Bab. Erachin.* fol. 28. 2. חרמי כהנים אין להם פדיון *Anathemata Sacerdotum, non admittunt redemptionem, sed danda sunt Sacerdotibus pro Trumah*, vel oblatione.

2. חרמי גבוה *Anathema vel devotum altissimo.* Cujus exempla habes *Levit.* 27. 26, 28, &c. Ubi sic lxx. Πᾶν ἀνάθεμα ἁγιον ἅγιόν ἐστι τῷ κυρίῳ. In *Bab. Nedarim.* fol. 28. 2. vocatur חרם שמים

3. חרם אשר יחרם מן האדם *Anathema quod Anathematizatur ex hominibus*, de hoc *Levit.* 27. 29. Ubi sic iterum lxx. Πᾶς δὲ ἀνὴρ ἀναθῷ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, οὐ λυτρωθήσεται, ἀλλὰ θανάτῳ θανατωθήσεται. *Omne Anathema, aut devotum ex hominibus, non redimetur sed morte morietur.*

Quidnam autem est *Anathema ex hominibus?*

Respondit Author *Tosaphtoth* אלו חייבו מיתות בר סנהדרין *Damnatus ad mortem à Synedrio.*

R. Sol. Cum morti devoverit Israelita servum aut famulam suam Cananæos.

R. Menahenius. Cum exitio devoverint bellantes Israelitæ hostes suos, si modo devicerint, ut ab illis factum est. Numer. 21.

Bab. Chetubb. fol. 37. 2. *Unde est quod cum eductus est aliquis*

quis capite à Synedrio damnatus, ad ſubeundam mortem, prodit alter intercedens & dicens, Perſolvam ego pro ejus redemptione, unde inquam eſt quod fruſtra hac dicit? Inde nempe quia ſcriptum eſt, Omne Anathema ex hominibus non redimetur ſed morte mulctabitur.

Si ergo primævam & propriam Anathematis hujus naturam inquiramus, fuit certe deſtinatio hominis alicujus noxii, ad certiſſimam mortem & exitium.

Hinc illud *Chald. Par.* in Eſai. 43. ult. Ubi pro אתנו יעקב לחרם *Tradam Jacob in Anathema* reddit ille אמסר לקטלא *Tradam ut occidatur.*

Et jam quod ad voces *Maran-atha* Convenit, inter quamplurimos commentatores, hanc phraſiologiam, eſſe quandam formam excommunicationis, eamque ſummam & graviſſimam. *Sic ſignatur*, inquiunt, *ſpecies extremi Anathematis, ac ſi diceretur maledictus eſto ad adventum atque in adventu Domini.*

Hanc *tertiam* excommunicationis apud Judæos ſpeciem eſſe aſſerunt, atque idem ſonare cum שמתא opinantur, & in eundem ſenſum interpretantur שם אתא *Deus venit.*

Mihi vero ut pace tantorum virorum liberè effari liceat quid in hac re ſentiam.

I. Non comperi inter legendum uſpiam locorum, quæſiverim licet ſedulò, apud ullos ſcriptores Judaicos quos evolvi, ubi ſemel occurrat *Maranatha* pro forma excommunicationis. Nec inveni apud ullum ſcriptorem Chriſtianum, vel minimum indicium quo monſtraretur ubinam loci aut in quo authore Hebræo inveniatur iſta Phraſiologia tali ſenſu. Imo ut ulterius eloquar quod res eſt, non memini me apud aliquem Scriptorem, vel Talmudicum vel Rabbinicum phraſin hanc *Maranatha* in aliquo omnino ſenſu inveniſſe, unquam uſquam.

II. At tacitè fatentur commentatores iſti de quibus mentio *Maranatha* quidem Syllabice non occurrere apud ſcriptores Hebræos at שמתא quod idem ſonat occurrere frequentiſſimè

me: & sic interpretantur שם אתא *Deus venit.*

Verùm prætermisso hoc, quod hæc interpretatio ignorationem videtur prodere verbi שמתא, aliud Etymon vocabuli שמתא adducunt Talmudici quibus vox illa & satis trita & magis nota.

Bab. Moed Katon. fol. 16. מאי שנתא *Quid significat Shammatha?* *Respondit Rabba* שם מיתה *Sham metha illic est mors.* *Respondit Samuel* שם תהא *vel* תיתי. *Ibi sit vel illuc adveniat mors, sicut scriptum est veniet in domum furis maledictio & vastabit eam,* Zec. 5. Hæc illi atque alia, at nulla apud ipsos mentio תי שם אתא

Quid sibi per *Maranatha* velit Apostolus faciliùs investigabimus cum prius hoc observaverimus, Apostolũ in Judæos incredulos, Domini Jesũ, atque ejus Evangelii inimicos acerrimos, aciem atque ictum istius Anathematis, ac maledictionis præcipuè intendere: quod non possum non opinari quatuor hisce inductus rationibus.

I. Quod Judæi præ omnibus mortalibus, Dominum Jesum non amaverint non ament. Docet hoc fusissime sacra pagina: docet hoc infœlix experientia. Pagani *Jesum* non amant quidem, quia non norunt, at quia non norunt, etiam non oderunt. *Jesum* quidem non amant Turcæ, eo modo quo Christiani, at non oderunt etiam, eo modo quo Judæi.

II. Quod linguâ hic loquatur & Dialecto Judaica, ista nempe Phrasi Syriacâ *Maranatha.* Græcè loquutus fuerat per totam epistolam, Græce loquitur per omnes epistolas, quod autem hîc Judaice, extra omnem controversiam, ipsum de Judæis loqui res ipsa loquitur.

III. Judæi soli ex omnibus mortalibus dixerunt *Jesum, Anathema* [vid. cap. 12. 1.] meritò ergo Anathemate eos præ omnibus mortalibus percutit Apostolus, par pari referens.

IV. Huc adduco vel potiùs huc adducit ipse Apostolus verba

illa *Eſaiæ* cap. 65. 15. *Relinquetis nomen veſtrum electis meis in execrationem.*

Huc etiam adduci poteſt illud *Malachiæ* cap. 4. quo concluditur vetus Teſtamentum פן אבוא והכיתי את הארץ חרם *Ne veniam & percutiam terram Anathemate: Ne veniam* hoc idem eſt quod dicit Apoſtolus *Maranatha Dominus venit. Et percutiam Anathemate*, idem quod in hoc commate *Eſto Anathema.* In quoſnam comminatio apud Prophetam? In incredulos Judæos. In eoſdem & comminatio & maledictio hæc Apoſtoli & ex ipſiſſimis ut videtur Prophetæ verbis deſumpta.

Et jam facillime eruas ſenſum vocis *Maranatha.*

Magna & terrifica loquitur ſcriptura ſacra, de adventu Chriſti ad ſumendas pœnas de Judæorum gente, ob non amatum, imo exoſum Chriſtum, & conculcatum Evangelium. Vocatur adventus ejus, in regno ſuo, in nubibus, in gloria quod obſervamus alibi. Ut longe promptius mihi ſit Phraſiologiam hanc *Maranatha*, hoc eſt *Dominus noſter venit*, ex communi hoc & ſcripturæ uſitatiſſimo loquendi modo, in hunc ſenſum interpretari, quam ad Judaicam neſcio quam formulam confugere, quæ & apud Judæos omnino quidem non habeatur.

AD-

ADDENDA ad CAP. 14.

Ut lucis aliquid addatur iis quæ diximus ad *cap.* 14. circa uſum linguæ ignotæ, non incongruum duximus paucis diſſerere ad diſcutiendam quæſtionem iſtam, *Quorumnam Bibliorum uſus obtineret in conventibus Judæorum Sacris*, quam huc rejecimus, ne interrumperetur continuatio Commentarii.

CAP. I.

De Hebræis & Helleniſtis.

CUm inter *Helleniſtas* diſtinguitur, & *Hebræos*, *Act.* 6. 1. obſcuritatis minus ſecum ferre videtur, quam cum diſtinguitur inter *Helleniſtas* & *Judæos*, *Act.* 11. 20. Nam *Helleniſtas* fuiſſe *Judæos*, conſenſum eſt fere inter omnes.

Ratio diſtinctionis peti poteſt, vel ab eorum diſperſione, vel ab eorum lingua: Διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων *Johan.* 7. 35. plane diſtingui poteſt, ἀπὸ τῆς διασπορᾶς τῶν Βαβυλωνίων. Judæi diſperſi per victorias & colonias *Græcorum*, a Judæis diſperſis per captivitatem *Babylonicam*, & dominium *Perſicum*.

At petitur diſcriminatio, potius ab eorum linguâ: Quippe quod *Hebræi* dicti fuerint illi, quibus vernacula erat lingua *Hebræa*, hoc eſt *Syra* vel *Chaldaica*, *Helleniſtæ* autem, quibus lingua *Græca*.

Sub titulo *Hebræorum* nemo non diſpoſuerit *Palæſtinæos*, *Babylonicos*, *Aſſyrios*, *Syros*, qui noverit quænam lingua omnibus iſtis regionibus fuerit vernacula, & communis: Præſertim, qui noverit, omnes iſtas regiones, ab ipſis Talmudicis diſponi, fere ſub eadem claſſe & cognatione, morum ac privilegiorum, æquè ac ſub eadem lingua. Hinc iſta apud eos, & iſtiuſmodi.

Quicunque habitat in Babylonia, eſt ac ſi habitaret in terra Iſraelis [*Bab. Chetubb.* fol. 3. 1.]

Omnis terra extranea vocatur מדינת הים *Ethnica, excepta Babylonia* [*R. Sol.* in *Gittim.* cap. 1. Ubi per בבל *Babyloniam*, omnes regiones iſtas intelligunt, ad quas deportata & abducta eſt captivitas *Babylonica.*

Et hæc quoque de *Syria*, [*Gittim.* fol. 8. 1. [*Quoad tria Syria erat par terræ Iſraeliticæ: tenebatur ad decimas & annum ſeptimum: illuc ire poterat in purſtate & coemens fundum in Syria erat ac ſi coemeret in ſuburbanis Hieroſolymæ.*

Syria quoad judicia quædam, eſt ſicut terra Iſraelitica [*Rambam in Pemai.* cap. 6.

[*Shevi'ith.* cap. 6. hal. 6. *Exportant* [fructus anni ſeptimi] *in Syriam, ſed non ad extra terram,* nota *Syriam* non reputari *extra terram*, ſed in rebus variis uniri cum *Palæſtina*, & varia adduci poſſent iſtiuſmodi, & de *Syria*, & de *Babylonia.*

Jam ergo cum de *Helleniſtis* eſt ſermo, harum regionum, & hujus linguæ Judæi, ſunt ab iis diſtinguendi, non negato tamen, quod & inter hos hic illic fuerint etiam *Helleniſtæ*: ut *Synagoga Alexandrina*, Hieroſolymis: Illi *Cæſareæ* qui apud Talm. Hieroſ: [*Sotah.* cap. 7.] *Phylacteria ſua recitarunt Helleniſticè*, atque illi *Antiochiæ*, de quibus mentio in loco *Actorum* allegato.

Nemini dubium eſt, linguam *Syram* fuiſſe vernaculam totius *Syriæ*, & tamen quis dubitaverit, qui hiſtoriam *Syrogræcorum* legerit, fuiſſe plurimos in *Syria* quibus lingua vernacula erat *Græca.* Atque hinc facilima ſolutio nodi iſtius *Act.* 11. Diſcipuli diſperſi, evangelizantes, invenerunt in *Antiochia* quoſdam *Helleniſtas*, quibus ſcilicet vernacula lingua erat *Græca*, inter *Judæos* quibus vernacula erat *Syra.*

CAP.

CAP. II.

De Hebræis in Babylonia & regionibus adjacentibus.

NUmeratur populus è *Babylone* redux, *Ezr.* 11. computaturque ſumma totalis 42360. *ver.* 64. Et tamen non aſſurgit numerus familiarum illic ſingulatim numeratarum, ultra 30000. Ita ut 12000 iſti qui intra ſummam totalem comprehenduntur, & tamen non numerantur familiatim, vel plebei fuerint, & nullius nominis, vel qui genealogiam ſuam non potuerunt derivare, ut *ver.* 62. vel forſan non pauci eorum erant de *decem tribubus*.

At quanta turba Judæorum in *Babylonia* adhuc permanſerit, cum numerus iſte ad antiquam patriam ſuam remearet, ex hiſce duobus, ut alia ommittantur, conjectêris.

I. Quod de *viginti quatuor Ephemeriis* ſacerdotum, non redirent niſi quatuor, [*Taanith.* fol. 68. 1.] ut obſervant *Hieroſolymitani*, idque bene ex *Ezr.* 11. 36. &c. Et quamvis proportionem longe minorem in reliquo populo concipias, excedet tamen longè numerus commorantium numerum redeuntium.

II. Radices egerat populus in *Babylonia*, & lxx anni captivitatis oblivionem propriæ patriæ ferè induxerunt. Juſſi fuerant à Deo domos ſibi ædificare, plantare paradiſos, & ſeſe ad diutinam illic loci habitationem componere, *Hierem.* 29. 5. 6. tranſiitque tandem neceſſitas in complacentiam, & ſedes nacti quietas, commodas, & lucroſas, melius eſſe illic judicarunt, quam in patriam redire, incultam, & periculis plenam & penuriâ.

Hinc diſputant Magiſtri an totus iſte cœtus qui aſcendit cum *Ezra*, non aſcenderit coactus: מר סבר אפרושי אפרושינהו ומנפשייהו [*Bab. Kidduſhin.* fol. 69. 2.] Et *Magiſter unus opinatur quod Separando ſe ſepararunt, & voluntariè aſcenderunt,*

Ma-

Magiſter alter בעל כרחייהו אסקינהו quod coactos abduxerit. Nam ut gloſſa. *Babylone commorantes, quietè potiti ſunt, aſt Hieroſolymam aſcendentes, paupertate preſsi ſunt, atque omnimodo labore & timore à circumhabitantibus.*

De commorantibus hæc ipſi Judæi.

I. Quod purior ſanguis Judæorum, in *Babylonia* remanſit, quam erat aſcendentium [*Ibid.* fol. 27. 1.] quippe quod *Ezra* fæcem populi ſecum abduxerit, & *Babyloniam reliquerit puram uti farinam* i. e. ut Gloſs. *Omnes impuri ſanguinis ille inde abduxit ſecum.*

Inde illud כל הארצות עיסה לאי ואי עיסה לכבל *Omnes terræ, ſunt ut maſſa mixta* vel impura *comparatæ cum terra Iſraelitica, & terra Iſraelitica eſt ut maſſa mixta, comparata cum Babylonia*, viz: quoad puritatem ſanguinis.

II. Quod generoſior ſanguis ſtirpis *Davidicæ* remanſerit in *Babylonia* quam qui aſcenderit in familia *Hilleliana*: quippe quod illa fuerit de ſemine maſculo, hæc de fœmineo. *Juchaſ.* fol. 89. 1. *Bab Chetub.* fol. 3. 1.

III. Imo hoc apud eos obtinuit, temporibus Talmudicis. *Prohibetur exire è Babylonia in terram aliam etiam à Pombeditha ad Be Cubi: & quendam qui ivit à Pombeditha ad Be Cubi, Rabh Joſeph excommunicavit.*

Et ſi ſpecimen aliquod proponeremus, numeroſitatis Judæorum terram iſtam incolentium, ſub iſtis temporibus tres eorum Academias poſſemus perluſtrare *Naardeenſem, Soranam & Pombedithanam:* Ut & varia alia loca Rabbinis celebria, qualia ſunt.

Bethdoli, ubi R. Nehemia, Jevam. fol. 122. 1. quæ & *Bedeli* vocatur ibid. fol. 115. 1.

Fluvius Pekod, ubi R. Jacob. Zevach. fol. 6. 1.

Bagdat, ubi R. Channah Zevach. fol. 9. 1.

Corconia, ubi R Chaiiah. Jevam. fol. 67. 1.

Oppidum Mahazia, ubi doctores Pombedithanis pares. Chetub.

tub. fol. 4. 1. & fol. 55. 1. Sed Talmudicorum Geographiam aliqualem introducamus regionum in Babylonia ubi Judæorum habitatio.

[*Kidduſhin.* fol. 71. 2. *Dicit Rabh. Papa Senex, nomine* ☞ *Rabh.*

בבל בריאה *Babylonia ſana eſt* מישון מתה *Maſon mortua.* מדי חולה *Media ægrotat* עילם גוססים *Perſia eſt expirans.* Hoc eſt, interprete gloſſatore. *In Babylonia, Judæi ſunt puri Sanguinis. In Maſon omnes ſunt ſpurii. In Media, multi puri Sanguinis, multi non. In Perſia plurimi non puri Sanguinis: & pauci qui puri.*

Pergunt עד היכן הוא בבל *Quouſque extenditur Babylonia? Rabh dicit* עד נהר עזק *uſque ad fluvium Azek. Samuel dicit* עד נהר יואני *Uſque ad fluvium Juani.*

Et quouſque ſupra, juxta Diglath? Rabh dicit עד בגדא ואונה *uſque ad Bagdaam & Avanam. Samuel dicit* עד מושכני *uſque ad Muſcani. At Muſcani ipſa non eſt intra terminum. Verum R. Chaiia bar Abba dicit, quod Samuel dicit, quod* Muſcani *eſt ſicut captivitas.* [i. e. Pombeditha] *quoad genealogias. Ad Muſcani ergo, intelligendum ita eſt, ut* Muſcani *ſit intra terminum.*

Infra, juxta Diglath quouſque? Ad Apamiam inferiorem. Nam duæ erant Apamiæ, una ſuperior, alia inferior. In una Judæi puri ſanguinis, in altera non. Et inter eas erat ſpatium iv. M. *paſs.*

Supra, juxta Euphraten quouſq; Rabh dicit עד אקרא דתולבנקני *Uſque ad Acram Tulbankanæ. Samuel dicit uſque ad pontem Euphratis. R. Jochanan dicit uſq; ad tranſitum* דגיזמא *Gizmæ.*

A fluvio *Azek:* inde forſan *Azochis* oppidum, de quo *Plinius* lib. 6. cap. 27.

נהר יואני *Fluvius Juani* vel *Joani*, forſan idem eſt cum *Oena* apud Marcellinum.

דגלת *Diglath. Tigris quâ tardior fluit Diglito: unde concitatur, à celeritate Tigris incipit vocari.* Plin. lib. 6. cap. 27.

תולבנקני

De *Apamia* Ptol. & Plinius.

תולבנקני *Tulbankana.* Inter civitates juxta *Euphra'is* partem, *Ptolemæo* est Θελβενκάνη in grad. 78 30. 35. 30.

His omnibus quæ dicta sunt, addi etiam potest, quod in *Notitia imperii*, sub dispositione viri spectabilis Ducis *Osrhoenæ* fuerint *Equites Promoti Indigenæ Synæ Judæorum.* Et quod apud *Plinium* in regionibus hisce de quibus nobis est sermo, fuerit regio dicta *Palæstina*, quæ an Judæos incolas non sapiant conjecturæ relinquimus.

Addatur & illud Marcellini [*Ammian* Marcell. lib. 24.] *Prope locum ubi major pars Euphratis in rivos diffinditur multifidos. In hoc tractu civitas ob muros humiles ab incolis Judæis deserta, iratorum manu militum conflagravit.*

CAP. III.

In iisdem regionibus sedes decem tribuum.

SEdes decem tribuum face Scripturarum, & Talmudicorum investigantes, eas in *Assyria* sitas comperimus, & *Babylonia* & regionibus conterminis. Dispositas sub captivitate sua in ipsissimis iisdem terris, in quibus disponendas decreverat consilium divinum, duas etiam tribus, cum eandem fortem forent illæ subituræ. Ut illæ quæ contiguæ fuerant in terra sua, contiguæ etiam forent in terra aliena: & ut quas univerat Deus in promissione vocationis suæ olim futuræ, unitæ etiam forent in iisdem Sedibus, ut unâ vocarentur.

Eas è terra sua captivas avectas, *Disposuit rex Assyriæ in Halach. & chabor juxta fluvium Gozan, & in civitatibus* Medorum, 2 *Reg.* 17. 6 & 18. 10.

Talmudici de locis nominatis sic commentantur.

[*Bab Jevamoth.* fol. 16. 2. *R. Abba bar Cahna dicit* חלח זה הלואות *Halahh est Halvaoth.*

הדייב

חבור זה הדייב *Habor est Adiabene.*

נהר גוזן זו גינזק *Fluvius Gozan est Ginzak*, [*Beresh Rabba.* sect. 33. *R. Akibah concionatur in Ginzak in Media.*

ערי מדי זו חמדן וחברותיה. *Civitates Medorum sunt Chemdan & Sociæ ejus. At sunt qui dicunt* ניהר וחברותיה *Nihar & Sociæ. Quænam sunt istæ Sociæ? Samuel dicit* מושכי *Musechi.* הירקי *Hidki.* רומקי *Domki.*

Repetuntur & hæc alibi, idque cum hac nominum variatione.

[*Kiddushin.* fol. 72. 1. חלח זו חלזון *Chalah est Chalzon.*

ערי מדי זו תמדן *Civitates Medorum sunt Tamdan, & Sociæ. At sunt qui dicunt* נהוונד *Nehvanad & Sociæ.*

Quænam istæ sociæ? Samuel dicit, Oppida מושכי *Mushchi* חושקי *Chuski, &* רומקי *Romki.*

De redditione חלח *Chalah*, quamvis non accuratè conveniat inter *Gemaristas* nunc per הלואות interpretantes, nunc per חלזון: de situ loci tamen non dissentiunt, cum utrobique eum adjungunt *Adiabenæ.* Et loco novissime citato sic applicant verba ista *Danielis.* ותלת עלעין בפום בין שינחא *Et tres costæ inter dentes ejus* [Dan. 7. 5.] *R Jochanane interpretante, sunt* הלזון *Chalzon.* והדייב *& Adiabene,* וגציבין *& Nesibis.*

Quæro an חלזון non pravè scribatur pro חלזון [ex similitudine literarum *Vau* & *Zain*] quæ & proprius accedit ad הלואות & utraque convenit cum Ἀλουανὶς, quæ civitas erat in *Mesopotamia*, apud *Ptol.* in grad. ὀζ δ 74. 15. λε̃ ἐ γ 35. 20.

[*Ptol. tab.* 4. *Asiæ de situ Mesopot.*] Apud eundem fluvius Χαβώρας memoriam gestat τῆς *Chabor* & Χαλκίτης, τῆς *Chalach*, & Γαυζανίτης τοῦ *Gozan.*

הדייב *Adiab* fluvius. Unde regio *Adiabene* famæ notissimæ, Vid. *Ammian: Marcellin:* lib. 23.

Hæc Judæi de primis sedibus decem tribuum, ubi & eas in sœcula subsequentia resedisse, adeo apud eos constitit, ut apud Talmudicos חוששין לרושין שמא מי השבטים הוא *Fe-*

moth ubi ante. *Caveatur de desponsationibus, ne ineantur cum aliquo de decem tribubus.*

Et Glos: Ibid: ברוכתייהו הוו רובא מי שבטים *In locis illis erant plurimi de decem tribubus.*

Et dum accuratè provident magistri ut conserventur stirpes puri sanguinis, nominantque loca plurima in *Babylonia* & regionibus adjacentibus, ubi erant familiæ puri sanguinis, & ubi non puri, digitum intendunt ut in alios sic etiam in decem tribus illic residentes, ut impuri sanguinis, & cum quibus non commiscendum.

Jam vero si adeo notæ fuerint sedes, urbes, regiones Decem tribuum temporibus Talmudicorum, multo magis temporibus Apostolorum quæ propius abfuerunt â prima earum captivitate. Non latuit ergo populus iste tunc temporis, in terra nescio qua incognita [quod de eo nunc concipitur] quin quòd ad eum pervenerit Evangelazatio Apostolica, sicut ad alias nationes. Indubitatè hoc dixeris, fide S. *Jacobi* qui ad totum Δωδεκάφυλον dictat Epistolã: itemque *Apocalypsæ*, apud quem obsignantur tribus duodecim. *cap.* 7. Atque idem arguunt verba Salvatoris, de duodecim Apostolis judicaturis duodecim tribus, innuentia, omnes eas duodecim, Evangelii sonũaudiisse, de cujus vel receptione vel rejectione futurũ erat istud judicium. Sub hac notione ni multũ fallar intelligẽdus est Apostolus, agens de vocatione Israelis *Rom.* 11. non Judæorũ solum, sed *totius Israelis* Δωδεκαφύλου. Atque hoc est mysterium illud de quo *ver.* 29. nempe quòd obduratio vel *cæcitas evenit Israeli* ἀπὸ μέρους, *partitè* vel *divisim*. Excæcabantur primùm decem tribus, & aliquot annorum centuriis post, duæ tribus: & hæ & istæ sub isto statu, donec plenitudo gentium introiret, intrante jam Evangelio, & sic omnis Israel δωδεκάφυλον ii nempe qui λεῖμμα erant κατ' ἐκλογὴν χάριτος *ver.* 5. est salvatus. Nam verba ista Ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ non ita intelligenda sunt, ac si expectanda foret collectio ultimi manipuli messis Gentilitiæ, ante vocationem

nem iſtam totius Iſraelis, ſed opponuntur raræ iſti acceſſioni Ethnicorum ad veram religionem ante prædicationem Evangelii, nam tunc temporis guttatim tantùm & rariſſimis ſtillicidiis ad eccleſiam ſunt additi: Aſt intrante Evangelio pleno flumine confluxerunt ἐξ ὅλῳ τῷ πληρώματι τῶν ἐθνῶν. Et ſic [quod grande myſterium] excæcatæ primùm gentes, & poſt eas excæcatæ decem tribus, poſtque illas excæcatæ duæ tribus, ſub miſera iſta conditionine ſuccubuerunt, donec tandem omnes per Evangelium illuminarentur & in unum corpus coaleſcerent. Et Apoſtolum de ſuis temporibus loqui, cum jam recèns ad gentes perlatum foret Evangelium, ipſe ſatis notum ratumque facit per verba iſta Ἐν τῷ νῦν καιρῷ, *ver.* 5.

CAP. IV.

Petrus Evangelizans in Babylonia.

UNiverſo itaque terrarum orbe ita diviſo, in *Iſraelitas* & *Gentiles*, Iſraelitiſque iterum in *decem tribus* & *Judæos*, Judæiſque rurſus in *Hebræos* & *Helleniſtas*, Hebræiſque in eos qui *intra terram Iſraeliticam* habitarunt & qui *extra*, obſervari inde aliquid poteſt quod ſpectat ad hiſtoriam Evangelicam, Apoſtolicamque.

I. Atque hoc primùm, quoad quatuor Evangeliſtas: ſcripſiſſe nempe *Matthæum* pro *Hebræis intra terram* Iſraeliticam, & *Syriam*. *Marcum pro Hebræis extra terram* in *Babylonia* & *Aſſyria*, ubi etiam *decem tribus*. *Johannem* pro *Helleniſtis*, *Lucam* pro *Gentilibus*.

II. Deinde, cum celebrentur tres Apoſtoli circumciſionis, *Jacobus Petrus* & *Johannes*. *Gal.* 11. 9. hinc Diœceſin unicuique benè diſtribuas. *Palæſtinam* & quæ ei contigua & connumerata, *Syriam*, *Jacobo*. *Babyloniam* & *Aſſyriam Petro*, Et *Helleniſtas*, *Aſianos* præſertim, ulterioreſque *Johanni*.

Babyloniam inquam & *Aſſyriam Petro*: quod & ipſe firmat, cum epiſtolam ſuam primam dictat à *Babylone*, & in ſecunda שיחתו כבבל vid. *Kidduſhin.* fol. 71. 2. *Idiomate utitur Babylonico.* Crederes vocem *Boſor* prolatam pro *Beor cap.* 11. 15. vel Solæciſmum *Petri* fuiſſe, vel errorem librariorum; ſed *Chaldaiſmum* ſapit, & plane docet quænam ea *Babylon* foret ubi jam tum *Petrus.*

Chaldæis vulgare erat ש in ע immutare, & vice verſa ע in ש in ע ut שפם *Shepham* in עפמיא *Apamiam* Numer. 34. 11. 12. [ubi vid. *Targ Samarit. Hieroſ.* & *Jonath.*] שטר *libellus contractuum* in עיטור apud Talmudicos: & varia iſtiusmodi.

Et ע in ש aut ס ut ער *Teſtis* in שהר, *he* tantum interpoſita: & ער *uſque*, *Samaritis* in סער pari interpoſitione. Sic ערק *Dividere* eſt etiam סרק, & לוערה maxilla eſt etiam ליסרה: Et plurima ejuſdem variationis, quæ obſervata, palam teſtabuntur *Petrum* in *Babylone Chaldaica* fuiſſe & *Chaldaicè* locutum fuiſſe cum diceret בסור pro בעור *Boſor* pro *Beor.*

Nec erat in toto terrarum orbe regio ulla, in qua congruentius, & officio ſuo conſonantius, Evangelizare potuit magnus ille Circumciſionis Apoſtolus, quam in *Babylonia* & locis adjacentibus, ubi *Hebræi* puriſſimi ſanguinis, & ubi *decem tribus*, *Circumciſio* pleno nomine.

Hucuſque inveſtigavimus Hebræos, vel Judæos iſtos quibus vernacula lingua erat *Syra* vel *Chaldaica Palæſtinæos* ſcilicet, *Syros*, *Aſſyrios*, *Babylonios*, & *Meſopotamianos*, atque infinitum numerum Iſraelitarum de decem tribubus inter hos ſparſorum eâdem linguâ etiam utentium. Videamus jam breviter quorumnam Bibliorum uſus in horum Synagogis.

CAP.

CAP. V.

Biblia Hebræa lecta in Synagogis Hebræorum.

DEfuerunt, inquiunt Hieroſolymitani, *Taanith*, fol. 56. 1. *Res quinq; ſub Templo ſecundo, quæ adfuerunt primo: Ignis de cœlo, Arca, Urim & Thummim, oleum unctionis, & Spiritus Sanctus*, vel ſpiritus Prophetiæ: Addatur etiam, *& lingua Hebræa* lingua Prophetica. De ſpiritu Prophetiæ hæc etiã Babylonici *Setah* fol. 24. 2. *A morte Prophetarum poſteriorum Haggæi, Zachariæ & Malachiæ ceſſavit ab Iſraele Spiritus Sanctus.* In prima quidem generatione à reditu è *Babylone*, viguiſſe dotem Propheticam teſtantur ſatis iſti Prophetæ, & quidem quamplurimi alii, ſi magiſtris credimus traditionum, nam ſic illi, *Hieroſ. Megill.* fol. 70. 4. *Inter octoginta ſeniores qui dimicabant contra ſtatutum Eſtheræ & Mordochæi, de feſto Purim ac ſi foret innovatio in lege, plures quam triginta erant Prophetæ.* At extincta iſta generatione, evanuit etiam donum Prophetiæ, nec apparuit amplius, ante auroram Evangelii. Huc ſpectant illa, *Joh.* 7. 38. ὕπω γὰρ πνεῦμα ἅγιον. Et *Act.* 19. 2. Ἀλλ' οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιόν ἐστιν ἠκούσαμεν.

An continuatus fuerit vernaculus uſus linguæ Hebrææ, in prima iſta generatione, prout continuatum eſt donum Prophetiæ, non diſputabimus: hoc certe præterire non poſſumus, libros iſtos Sacri Cànonis qui ſcripti ſunt in iſta generatione, *Paralipomenon* ſcilicet, *Ezræ*, *Nehemiæ*, *Eſtheræ*, *Haggæi*, *Zachariæ*, *Malachiæ*, [paucis tantum in libro *Ezræ* exceptis] omnes ſcriptos fuiſſe *Hebraice.*

Fueritne lingua Hebræa tunc temporis, lingua vulgaris necne, abſque omni dubio ſæculis ſubſequentibus, *Syra* vel *Chaldaica* illis fuit vernacula & in *Babylonia* & *Palæſtina*: & tamen

Biblia

Biblia Hebræa lecta ſunt in eorum Synagogis, non intellecta à vulgo, at reddita in linguam ejus vulgarem *Chaldaicam*, ab interprete.

In prima iſta generatione, ita factum fuiſſe aſſerunt *Gemariſtæ* dum verba iſta *Nehem.* 8. 8. ſic explicant, *Megil.* fol. 3. 1. *Nedarim.* fol. 37. 2. *Legerunt in lege Dei* במקרא *In textu Hebræo* מפרש זה תרגום *Explanatè id eſt cum Targum.*

In ſæculis omnibus ſubſequentibus hæc obtinuerunt.

[*Maſſech Sepher.* cap. 1. hal. 6.] *Si quis ſcribat libros ſacros, quavis lingua, vel quovis Charactere, non tamen leget in iis* [publice in Synagoga] עד שהם כותבי אשורית *Niſi ſcribantur Hebraice.*

[*Hieroſ. Megill.* fol. 74. 4.] *R. Samuel bar Rabh Iſaac ivit in Synagogam, & vidit miniſtrum ipſum interpretantem, & non quemvis ei aſtantem pro interprete. Dicit ei, Prohibitum hoc tibi eſt, Nam ſicut lex data eſt per mediatorem, ſic etiam tractanda eſt cum mediatore. Hinc tot & tam accurati Canones de interprete in Synagogis.*

[*Bab. Megill.* fol. 23. 2.] *Qui legit in lege non legat interpreti plus vice una, quam verſiculum unum.* Gloſs: ne erret interpres.

[*Ibid.* fol. 25. 1.] *Factum Reuben legitur at non interpretatur.* [paſſivo ſenſu vocem adhibeamus] *Factum Tamar legitur & interpretatur. Hiſtoria prima de vitulo aureo legitur & interpretatur. Secunda legitur, ſed non interpretatur.*

Gloſs: *Hiſtoria iſta quam ipſe Aaron refert de vitulo, vocatur hiſtoria vituli ſecunda: In ea ſunt hæc verba* ויצא העגל הזה *Et prodiit hic vitulus. Non ergo interpretatur iſta hiſtoria ne erret vulgus & dicat, aliquid rei erat quod ex ſeipſo prodiret. Sed ipſum textum Hebræum non intellexerunt.* Notetur illud.

Pergunt Gemariſtæ. *R. Chaninah ben Gamaliel ivit ad Chabul, atque audiens illic miniſtrum Synagogæ legentem verba iſta* ויהי בשכן ישראל Gen. 35. 2. *Dixit interpreti*

Sile,

Sile, & ne interpreteris, & laudarunt eum ſapientes.

Plurima iſtiusmodi poſſent proferri, quibus planum evadit, textum Hebræum lectum fuiſſe in Synagogis Hebræorum, hoc eſt Babyloniorum & Palæſtinorum, & quorumcunque lingua vernacula erat *Syra* vel *Chaldaica*: Sed an in *Helleniſtarum*, ulterius quærendum.

CAP. VI.

Quid Judæi de verſionibus.

CAnones iſti, de lectione ac interpretatione, quos citavimus, an Judæos Palæſtinæos & Babylonios ſolùm obligant, an non & Judæos alios totamque gentem ubique ſparſam? In utroque Talmude ſunt iſti Canones; & prout aliæ omnes traditiones in iſto codice compactæ, totam gentem obligant, niſi ubi ratio temporum, & diverſitas locorum deſpenſant; ſic quare non hæ etiam de lectione legis & Prophetarum in Synagogis ex textu Hebræo?

Zelo & veneratione ſummâ ferebatur univerſa gens Judaica erga textum Hebræum, quem negligere in Synagogis illis erat religio: lectus eſt iſte in Synagogis Hebræorum, & redditus frequentiſſime ipſiſſimis verbis *Onkeleſi* & *Jonathanis*: & cur non potius Targumiſtæ ipſi lecti & res acta per pauciores? quia nullo modo negligendus eſt textus Originarius: & quare in hac refrigeſcerent *Helleniſtæ* magis quam *Hebræi* quis dixerit!

Quo magis ergo Zelo & honore proſequebantur textum Hebræum, eo minùs grata illis verſio ejus, in linguam aliam.

Nam tantum honoris, virtutis, & dignitatis à textu ſacro deceſſiſſe ſunt arbitrati, in quantum receſſum eſt ab iſta lingua aut ab iſtis literis.

1. In

1. In isto Canone כתבי קדש מטמאים את הידים *Libri sacri polluunt manus*, quo, ut aiunt, dignitas istorum librorum astruitur, si fiat aliqua immutatio linguæ vel characterum, in tantum eorum nobilitatem diminutam credunt. *Jadaim.* cap. 4. hal. 5. Nam *Targum si scribatur Hebraice, & Hebræa si scribantur Targumice, & scriptura trā samuana non polluunt manus. Et quidē libri isti non polluūt manus nisi scribātur Hebraice.*

2. Disputatur, [*Schabb.* fol. 115. 1.] *An liceat libros sacros eripere ab incendio, Sabbato* cum illud fieri non potuerit absque aliquo labore. Et eos Hebraice scriptos eripiendos esse, concluditur absque omni scrupulo: at vero si aliâ linguâ, vel alios characteribus tum dubitatur. Imo *R. Josæ dicit, non eripiendi sunt omnino.*

3. Disputatur ulterius אם מותר לאברן כ"ד: Si libri sacri ita scripti ad manus tuas pervenerint, num liceat propria manu perdere, vel dissecando, vel lacerando, vel in ignem immittendo; & concluditur quidem negativè; quod tamen idem valet ac si affirmativum determinaretur; *Reponantur*, inquiunt, *in loco aliquo fœdo, ubi à seipsis absumantur.*

Et narratur de *Rabban Gamaliele* primo, quod cum ad eum afferretur סבר איוב תרגום *Liber Jobi Targumizatus*, jussit ut sub strue lapidum suppremeretur. Quod & exemplum urget Rabbinus quidam postea ad abnepotem ejus *Gamaliclem*, ut & ille *Librum Jobi Targumizatum* quem in manibus habuit, defoderet etiam absumendum.

Liber Jobi Targumizatus erat liber iste versus in linguam *Chaldaicam*: linguam gentis vernaculam, linguam in qua reddebantur lex & Prophetæ in Synagogis, & tamen versionem istius libri [qui quidem non legebatur in Synagogis] etiam linguâ ista editam, nullo modo tolerarunt, multo minus toleraturi versionem legis & Prophetarum in linguam remotiorem & magis Ethnicam.

Hisce perpensis suspicari meritò licet, Judæos non adeo honorificè

norificè de verſione aliqua ſenſiſſe, ut abjectis Bibliis Hebræis, eam eorum vice ſibi deſponſarent: Et quid illis de verſione Græca τῶν lxx ut vocatur videri potuerit, vel viſum fuerit, paucis quantum fieri poteſt, inveſtigemus.

CAP. VII.

Collatio Hiſtoriæ τῶν ὁ quæ apud Joſephum, & quæ apud Talmudicos.

REcitatione opus non habet Hiſtoria quæ apud *Joſephum* & *Ariſtæam* omnibus ſatis nota. A qua immane quantum diſtat illa quæ apud Talmudicos, quam ex *Maſſecheth Sopherim*, cap. 1. verbatim ſic exſcribimus.

מעשה בחמשה זקנים שכתבו
לתלמי המלך את התורה יונית
והוה היום קשה לישראל כיום
שנעשה העגל: שלא היתה תורה
יכולה להתרגם כל צרכה:
שכנס מעשה בתלמי המלך
שכנס שבעים ושנים זקנים
והושיבם בשבעים ושנים
בתים: ולא גלה להם על מה
כנסם נכנס לכל אחד ואחד
מהם אמר להם כתבו לי
תורת משה רבכם: נתן
המקום עצה בלב כל אחד
ואחד והסכימו דעתן לרעת
אחת וכתבו תורה בשני
עצמה ושלשה עשר דבר
שינו בה:

Hiſtoria eſt de quinq. Presbyteris qui tranſcripſerunt legem Ptolomæi regis gratiâ Græcè. Et acerbus fuit iſte dies Iſraeli, ſicut dies quo conflatus eſt vitulus aureus. Quia lex non potuit verti ſecundũ omnia ei requiſita Eſtque rurſus hiſtoria de Ptol. Rege quod congregavit lxxii *Presbyteros & diſpoſuit eos in* lxxii *domunculis, at non revelavit iis quare eos congregaverit. Verum ingreſſus ad unumquemque eorum dixit iis, Exſcribite mihi legem Moſis magiſtri veſtri. Indidit Deus cordi uniuſcujuſque conſilium, ita ut animi eorum in unum convenirent: Et exſcripſerunt ei legem per ſeipſam: At tredecim loca in ea immutarunt.*

Pari modo hiſtoriam narrat Talmud Babylonicum in *Megillah*, hoc tantum excepto, quod non ſit mentio de quinque Presbyteris: ut & quod deſit hæc clauſula, *Exſcripſerunt ei legem per ſeipſam.*

I. Splendida loquitur Joſephus, de literis à Rege datis ad pontificem, interpretes accerſentibus, de donariis ad *Eleazarum* miſſis, aliiſque ſacratis templo, de plurimis talentis à Ptol. profuſis in redemtionem Judæorum, de honorariis in interpretes collatis, quæ omnia, ſecundum calculos *Joſephi* & *Ariſtææ* in tantam ſummam aſſurgunt, ut cum ratione credas totam Bibliothecam *Alexandrinam* tanti non conſtitiſſe, imo totum annuum vectigal *Ægypti* vix valuiſſe tanti.

Aſt apud Talmudicos de hiſce omnibus altum ſilentium. Et tamen non ſolent illi vel animis, vel elocutione carere, cum aliquid enuntiandum eſt in gloriam propriæ gentis. Non ſilent illi de donariis, *Monobazi* & *Helenæ*, *Nicanoris*, *Ben Kattin*, *&c.* de donis Principum Rabbinis ſuis vel datis vel miſſis, at de immenſis hiſce ſumptibus *Ptolemæi*, ne ſyllaba quidem una.

II. Apud *Joſephum* accerſuntur interpretes per literas, idq; ſub ea notione ut interpretentur. Aſt apud Talmudicos convocantur, ignorantes prorſus quid ab iis agendum.

III. Apud Joſephum vertunt [legem ſaltem] Græce, apud Talmudicos in obſcuro eſt, an verterint omnino.

De quinque Presbyteris quidem dicitur in terminis quod כתב יוניית *tranſcripſerunt Græce*, id eſt verterunt, ut vox quæ ſequitur להתרגם ſatis explicat: at de lxx nihil tale: verùm hoc tantum שכתבו תורה בגוי עצמה *Quod tranſcripſerunt legem per ſeipſam & tredecim loca in ea immutarunt.*

Eſt quidem in introductione Babyloniorum ad narrationem ſuam, quo cogites, eos innuere lxxii vertiſſe *Græce.*

[*Megill.* fol. 9. 1.] *Magiſtri noſtri* [inquiunt] *non permiſerunt ut tranſciberentur libri ſacri niſi Græce. Et eſt traditio. R. Judah dicit, Cum permiſerunt Græce non permiſerunt niſi de libro*

libro legis tantum ומשום מעשה דתלמי תבלב *Idque propter quod occurrit apud Ptol. regem.* Vel esto ut redditur à nonnullis, *Unde est ortum opus apud Ptol. regem.*

Verùm si dixerit quisquam transcripsisse quidem eos Græce textum scilicet Hebræum *literis* Græcis, & non *vertisse*, ex Talmudicis vix refutaveris: præsertim cum distinguant illi alibi inter exscriptionem בכתב לשון [*Schabb.* fol. 115. 1.] *quavis lingua* id est characteribus cujusvis linguæ, & exscriptionem תרגום בכתב לשון *per versionem in quamvis linguam.* Cumque exhibitio & editio duplicis textus Hebraici in Hexaplis & Octaplis *Origenis* [*Epiphan. hær.* 63.] Δι' Ἑβραϊκῶν τῶ Ἑλληνικῶν στοιχείων videatur exemplari suo non caruisse, in quo exscriptus fuit ipse textus Hebræus literis Græcis.

Quid tandem vult illud כתבו התורה בפני עצמה *Exscripserunt legem per seipsam?* vel hoc certe, Transcripserunt legem tantum, & non reliquos codices, vel potius Transcripserunt ipsissimam legem Hebraicam Hebraicè, & non verterunt.

Exscripserunt inquiunt, *legem per seipsam, At tredecim loca in ea immutarunt.* Posterioris Clausulæ examen lucem præbebit priori, & suffragabitur dicenti, quod apud Talmudicos non patet quod lxx verterint omnino, sed quod transcripserint, solùm Hebraica Hebraice.

CAP. VIII.

De tredecim locis immutatis.

TAlmud utrumque, Ut & alii Rabbini qui historiam narrant de lxxii Senioribus, hoc semper addunt, *quod tredecim loca in lege immutarunt*, quæ & enumerant. Jam vero cum non inveniantur variationes istæ in versione Græca, à plerisque explosa est historia ut merum figmentum: cum quidem immutatio non foret in versione, sed in transcriptione Hebraica.

Res ipsa loquatur.

Scripserunt inquiunt, אלהים ברא בראשית *Deus creavit in principio*, Gen. 1. 1. Non ברשית ברא אלהים *Ne diceret Rex, Bereshith est Deus, & duæ potestates erant, & prior creavit posteriorem*, vid. Glos: in *Megill.* fol. 9. 1.

Jam vero in versione Græca impossibile erat ut oriretur talis scrupulus, sed solùm ex textu Hebræo. Et necesse est ut immutatio emendans reputetur esse in ipsis vocibus Hebræis.

Scripserunt ותשחק שרה בקרוביה *Et risit Sarah inter vicinos suos*, Gen. 18. 12. pro בזרבה *Intra scipsam.*

Scripserunt לא חמר אחד מהם נשאתי *Desiderabile quicquam ab iis non astuli*, Num. 16. 15. pro חמר אחר *Asinum unũ.*

Jam quisnam dubitaverit immutationem in ipsis verbis Hebræis fuisse factam? In priori ex affinitate vocum, in posteriori ex similitudine literarum.

At vice plurium sit exemplum hoc unum.

Scripserunt וישלח את זאטוטי בני ישראל *Exod.* 24. 5. pro את נערי Jam si quæratur an ipsam vocem זאטוטי Scripserint, an sensum ejus linguâ Græcâ, ipsissimam istam vocem ab iis scriptam fuisse testantur Gemaristæ Hierosolymitani in hac historia.

Tres libri, inquiunt illi, *reperti sunt in atrio Templi. In uno eorum scriptum erat* מעין קדם *Deut.* 33. 27. *In duobus* מעונה *Duos istos receperunt, & rejecerunt tertium. In uno scriptum erat,* וישלח את זאטוטי בני ישראל *In duobus* וישלח את נערי בני ישראל *Duos istos receperunt, & rejecerunt tertium In uno scriptum erat* תשע היא *In duobus* אחר עשרה היא *Duos illos receperunt & rejecerunt tertium.*

Jam quæratur, Qualianam quæso duo ista exemplaria in quibus scriptum מעונה & נערי, & אחר עשרה? Hebræa, absque omni controversia: sic & illud omni procul dubio in quo scriptum מעין & זאטוטי & תשע.

Non est ergo cur traditio sta de tredecim locis immutatis tam malè audiat, & pro figmento haberetur, ideo quod tredecim

cim istæ variationes non inveniantur in versiione Græca, Nam planè agunt Talmudici de lxxii non vertentibus ex Hebræo, sed transcribentibus ipsissima Hebræa.

Addamus & introductionem Hierosolymitanorum ad hanc historiam, *Megill* fol. 71.4. *Hierosolymitani*, inquiunt illi *scripserunt* ירושלם ירושלימרה צפון צפונה הימן הימנה id est, immutarunt scriptionem vocabulorum horum Hebraicorum: atque immediate addunt יג דברו שיו חכמים להלכא המלך *Tredecim loca immutarunt sapientes pro Ptol: rege*: quod etiam intelligendum est de immutatione in ipsis vocabulis Hebræis, aliter non quadrat hoc cum præcedentibus.

CAP. IX.

Quali pretio videatur versio lxx *viralis ut vulgo vocatur fuisse apud Judæos.*

SIc latet in incerto an Talmudici ullam agnoscant versionem Septuaginta duorum omnino. Detur ergo, eos θεοπνευστίαν personis istis attribuere, ex hoc quod dissitæ, tamen in unum animum sensumque conspirarent, minime tamen sequetur inde, quicquam honoris ab illis versioni huic, quæ sub isto nomine circumfertur, tributum.

Halitum traditionum Judaicarum, promptius longe est in ea deprehendere, quam afflatum ullum Spiritus sancti. Et quamvis in pretio certe genti fuerint suæ traditiones, atque earum patrocinandarum causa, inserta in versione videantur plurima quæ iis favent, hæc tamen nequaquam apud eos adeo obtinuerunt, ut versionem fonti Hebræo præponerent, atque isto abjecto illam sibi eligerent, quin textui Hebræo honorem semper suum reservarent.

Quid docti inter eos de versione Græca judicare potuerint, ex

ex hoc aliqualiter conjicias, quod vel ipse Christianus seriis oculis eã legens & perspiciens, plurima in eâ observare potest, quibus detegat quibus consiliis, cautionibus, astutiis exarata fuerit ista versio: præsertim vero præ oculis simul habens, mores, traditiones, scita, statum Judaicæ gentis, ad quæ frequentissime alluditur & respicitur ab istis interpretibus. Exemplo uno & altero res illustretur quoad traditiones.

Gen. 21. 18. ὅτι συγκλείων συνέκλεισε κύριος ἔξωθεν πᾶσαν μήτραν. Unde insertio vocis ἔξωθεν? Concordat cum traditione quod obstructi fuerunt uteri contra coitum, *Bava Kama*, fol. 92. 1.

Exod. 24. 10. Εἶδον τὸν τόπον οὗ εἱστήκει ὁ θεὸς τοῦ Ισραὴλ, pro εἶδον τὸν θεὸν τοῦ Ισραὴλ. Confer *Kiddushin.* fol. 49. 1. Ubi Gloss. *R. Hananeel dicit qui reddiderit* ויראו את אלהי ישראל viderunt Deum Israelis, *mendax est, &c.* vid. ante pag. 95.

Deut. 30. 6. Καὶ περικαθαριεῖ κύριος τὴν καρδίαν σου. Et *Jos.* 5. 4. ὃν δὲ τρόπον περιεκάθαρεν Ἰησοῦς τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ, pro περιέτεμεν. Sensu inclinante nimium ad nugacia magistrorum encomia Circumcisionis.

Unde hausta ista? *Josu.* 21. 40. & 24. 30. Ἐκεῖ ἔθηκαν μετ' αὐτοῦ [Ἰησοῦ] εἰς τὸ μνῆμα εἰς ὃ ἔθαψαν αὐτὸν ἐκεῖ τας μαχαίρας πετρίνας, &c. Et 2 *Sam.* 21. 11. καὶ ἐξελύθησαν καὶ Κατέλαβεν αὐτοὺς Δὰν υἱὸς Ἰωὰ ἐκ τῶν ἀπογόνων τῶν γιγάντων.

1 *Sam.* 11. 21. Additur Clausula καὶ πάσας τὰς δεκάτας τῆς γῆς αὐτοῦ, secundùm Canones gentis de offerendis decimis in festo.

2 *Reg.* 2. 1. *Cum Deus levare vellet Eliam in turbine* ὡς εἰς οὐρανὸν sic *ver.* 11. Cum sententia gentis, de ascensione *Eliæ* quam proxime ad cœlũ, non in ipsum cœlum. *Succah* fol. 5. 1.

1 *Paralip.* 9. 31. τοῦ τηγάνου τοῦ μεγάλου ἱερέως: Ex celebri fama de חביתי כהן הגדול vid. *Menachoth.* cap. 11. hal. 3. alibique frequentissimè.

Psal. 11. 12. Δοξάζεσθε παιδείας. pro נשקו בר. *Sanhedr.* fol. 92. 1. *Bar nihil aliud significat nisi legem sicut dicitur* נשקו בר.

Plura omittimus ejusdem notæ & suspicionis, quæ sunt non pauca.

2. Ob-

2. Observare licet apud Hierosolymitanos, versionem *Aquilæ* Græcam aliquoties citatam, at τῶν ὁ nunquam.

Schabb. fol. 8. 2. תרגם עקילס אסטו מובריאה *Aquila reddit* [בתי נפש *Esai.* 3. 20.] Σαμαχήνεια.

Joma. fol. 41. 1. תרגם עקילס לקבל נברשתא לקבל למטרס *Aquila reddit* [לקבל נברשתא Dan: 5. 5. *Contra lampadas.*

Megill. fol. 73. 2. הוא ינהגנו עלמות [*Psal.* 48, 14.] תרג עקילס אתא נסייא *Aquila reddit* Ἀθανασία.

Succah fol. 54. 4. פרי עץ הדר [*Levit.* 23. 40.] *Dicit R. Tanchuma* ת־ג עקילס עץ הידור *Aquila reddit* עץ ὕδωρ. Si in interpretatione non fallat conjectura. Vid. & *Berish. rabb.* fol. 14. 2. & fol. 19. 1, &c.

At non memini me allegatam invenisse vel clausulam unam ex versione τῶν lxx in toto Talmude vel hoc vel illo.

Adjiciatur & illud. Quod [*Sanhedr.* fol. 100. 2.] *Liber Ben Syræ* est liber prohibitus & tamen eum citatum comperias in Talmude utroque. *Hieros. Berac.* fol. 11. 2. Ubi videtur esse liber *Siracidæ*; ast aliter, *Bab. Chetub.* fol. 110. 2. *Chagig.* fol. 13. 1. *Bathra* fol. 98. 2. præsertim *Sanhedr*: ubi ante. At non memini, inquam, me allegatam comperisse versionem τῶν ὁ ullibi locorum, & vix credo talem allegationem non observatam me præterlabi potuisse. Quæ res suspicionem magis auget, Judæos istos, versionem talem haud agnovisse, & transcriptionem τῶν lxx intellexisse non de versione, sed de exscriptione ipsissimi textus Hebraici. Et quod ad versionem ipsam de qua loquimur quo erga eam animo fuerint, ex hoc aliqualiter discas quod aliâ allegatâ hanc non citent omnino.

3. Norunt satis Judæi, versionem Græcam non exaratam fuisse pro Judæis, sed pro Ethnicis: atque eorum opera factam qui ad illud opus inviti accesserint, nec quicquam tale tolerassent si penes ipsos fuisset impediisse. Jam vero qua fide tale quid præstitum fuerit, res ipsa loquitur, & norunt hoc satis Judæi,

dæi, qui norunt ſatis quali animo erga Ethnicos foret tota gens Judaica.

Nullo ergo argumento quis perſuaſerit, verſionem iſtam fuiſſe puram & accuratam verſionem, exactè ſecundum veritatem Hebraicam quam in manibus habuerunt interpretes, differentias autem quas nunc deprehendimus in Bibliis noſtris, ortas fuiſſe inde quod Judæi textum Hebræum pro libitu depravarint. Nam nunquam crediderim ego, magiſtros quoſvis Judæorum velle Biblia pura, intemerata, exacta, exhibere Ethnicis in verſione Græca, & textum interpolatum, pravum, corruptum obtrudere ſuis.

Et judices ipſos appellemus hac in cauſa.

1. In *Gen.* 2. 2. Græca habent Συνετέλεσεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ. Num ipſiſſimo eo ſenſu erat in exemplari quo uſi ſunt interpretes? *Immutarunt* inquiunt Gemariſtæ & *ſcripſerunt* וינח ביום השני. Gloſs: *Ne diceretur quod Deus aliquid operatus eſt Sabbato.* In exemplari eorum Hebræo, erat uti eſt in noſtris וינח ביום השביעי aſt illi immutarunt in tranſcripto Hebræo de quo diximus, & ſic interpretes in verſione Græca.

2. In *Exod.* 12. 40. Græca habent Ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἣν κατῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν Χαναάν, &c. Num ita legerunt interpretes in exemplari ſuo Hebræo? Non. *Immutarunt*, inquiunt Talmudici & *ſcripſerunt* בארץ מצרים ובארץ כנען In exemplari quod in eorum manibus, aberat ובארץ כנען, aſt illi addiderunt de proprio Gloſs. *Ne diceretur mendacium ſcriptum eſt in lege veſtra: Nam ecce Kohath erat inter deſcendentes in Ægyptum. Et ſi omnes annos numeres Kohathi Amrami & Moſis non aſſurgunt ad* 400.

3. In *Num.* 16. 15. Græca habent οὐκ ἐπιθύμημα ὑποζυγίου αὐτῶν εἴληφα. Num חמור ſcriptum in exemplari quo uſi ſunt lxx? Non. Eſt immutatio inquiunt magiſtri, nam ſcriptum erat חמר atque illi in חמור tranſtulerunt. Gloſs: Ne *diceretur, Aſinum*

num forte non abſtulit, at deſiderabile aliquid aliud abſtulit. Ex ungue leonem.

Hæc dicta ſunto ad aſtruendum, non *Heterodoxum* admodum eſſe ſupponere verſionem Græcam non lectam fuiſſe in Synagogis *Helleniſtarum*, ſed textum Hebræum ita ut in Synagogis *Hebræorum*. Et jam quæ in contrariam partem dicuntur perpendamus paucis.

CAP. X.

Quæ objiciuntur pro affirmativo.

OBjicitur primo illud in Hieroſ. *Sotah.* cap. 7. *R. Levi ivit Cæſaream, audienſque eos legentes lectionem* שמע Deut. 6. *Græcè, voluit impedire ipſos. R. Joſe id animadvertens, iraſcebatur dicens, Qui non poteſt legere Hebraicè, num non omnino leget? Imo legat quacunque lingua quam intelligit & novit, & ſic officio ſuo ſatisfecerit.* Sic redduntur verba à viro doctiſſimo, At non agit *Gemara* de lectione legis in Synagogis, ſed de recitatione Periocharum Phylactericarum, inter quas prima erat שמע ישראל *Deut. 6.* Vox igitur קורין per *recitationem* reddenda eſt non per *lectionem*, Quo ſenſu vox קרא occurrit apud magiſtros frequentiſſimè. Ut *Bab. Megill.* fol. 17. 1. קראה על פה *Recitat librum Eſtheræ oraliter* id eſt abſque libro. *Biccurim* fol. 86. 1. *Olim unusquiſque qui potuit* לקרות *Recitare* [Periocham iſtam in oblatione primitiarum uſitatam, *Deut. 26.*] קרא *Recitavit. Et qui non potuit recitare* מקרין אותו *Docuerunt eum recitare.* Vel recitarunt pro eo.

2. Urgetur exemplum illud & hiſtoria, de lectione legis & Prophetarum in Synagoga *Antiochena Piſidiæ, Act.* 13. 5. Cui non opus eſt ut aliquid aliud reſpondeatur quam quod petit quæſtionem.

3. Additur & illud Tertulliani *Apolog.* cap. 18. *Sed & Judæi palam lectitant vectigalis libertas vulgo auditur* [vel auditur] *singulis Sabbatis.*

Resp. Detur *Tertul.* loqui de versione Græca quod non admodum patet: Quod actum est sub *Severo* non concludit & illud actum fuisse sub temporibus Apostolorum: præsertim verò cum *Severus* erga Judæos fuerit secundum sensum nominis sui admodum severus, ut docet *Baronius* & olim *Spartianus*: sub quo observari sabbata à Judæis non potuerunt nisi sub vectigali: & detur lectam tum ab iis *Romæ* [ut scenam rei describit glossator in *Tertull.*] fuisse versionem Græcam, erat & illud sub vectigali; non ex electione populi, sed ex pura coactione.

4. Adducitur illud *Justini Martyris*, Orat. Parænet: ad Græcos Εἰ δέ τις φάσκοι μὴ ἡμῶν τὰς βίβλους ταύτας ἀλλὰ Ἰουδαίοις προσήκειν διὰ τὸ ἐπ' αὐτῶν σώζεσθαι.

Et Apolog. 2. Ἐμειναν αἱ βίβλοι καὶ παρ' Αἰγυπτίοις μέχρι τοῦ δεῦρο, καὶ πανταχοῦ παρὰ πᾶσιν εἶσιν Ἰουδαίοις οἱ καὶ ἀναγινώσκοντες ἐυσέβειαν.

5. Ast instar omnium est illud quod *Philo* & *Josephus* sequuntur versionem Græcam, quodque [quod majus] Amanuenses sacri in N. Test. in allegationibus suis è veteri desumptis. Ergo absque dubio inquiunt frequens & vulgaris erat ista versio in Synagogis atque hominum manibus atque absque dubio summæ apud Judæos authoritatis, imo ut videtur divinæ. Hæc sunt argumenta quæ maximi ponderis sunt in istam partem.

Ut ergo ad omnia respondeatur simul, expatiemur paulùm in hac disquisitione.

CAP.

CAP. XI.

Quibus authoribus & conſiliis prodiiſſe verſionem Græcam, quæ obtinet ſub nomine LXX, *poſsit eſſe probabile.*

I. ELaborata, & edita abſque dubio non erat Judæorum gratiâ, ſed Ethnicorum: Teſtem hic habemus *Joſephum* in hiſtoria ſua de lxx: quem detur veracem eſſe in iſta narratione, quidnam *Ptolemæum* movit ut tam avidè verſionem efflagitaret, tam immenſis ſumptibus tantillum volumen coemeret? An religio? An adornandæ Bibliothecæ ſtudium? Iſto fuco rem colorat *Joſephus*: at tertium, idque longè vero ſimilius, dictabit ratio. Nam *Ægyptum* tunc temporis infinita Judæorum multitudine refertam fuiſſe, docent ſcriptores & Judæi & Ethnici: Et quidnam potuit rex prudens, & ſibi regnoq; ſuo cavens, aliud agere, quam mores & inſtituta iſtius gentis penitius introſpicere, an cum pace & ſecuritate regni ſui conſiſterent, cum populus iſte moribus & legibus omnium aliarum gentium contrariaretur. Cum ergo legem eorum, quæ totam eorum Religionem, Politiam, Oeconomiamque comprehenderet, Hebraicè ſcriptam, nec examinare potuerit nec intelligere, neceſſe habuit ut in linguam ſuam vulgarem transferri curaret. Hinc orta, ut ſupponere bene licet, verſio *Quinque Presbyterorum*, & ne fraus & colluſio aliqua ſubreperet, concongregatio lxxii *ſeniorum*. Et nonne ſuſpicionem redolet, quod congregaret eos prorſus ignorantes quid agendum? Nam cur *Talmudicis* pro ſuis ſcribentibus, quàm *Joſepho* pro Ethnicis, non credendum potiùs, dictet ratio. Et ſi quid veri ſit in narratione, quod ſeparatim concluſerit congregatos in totidem conclavibus, redolet illud & eandem ſuſpicionem eo magis.

II. Detur eos vertiſſe Græcè: quod ut vidimus, eſt in ambiguo, at de libris *Moſis* eſt ſermo tantum apud *Gemariſtas* &

de *lege* tantùm apud *Joſephum*: quinam ergo reliquos libros ſacri voluminis verterunt? Abſque authore forſan eſt, ſi dicamus Synedrium Hieroſolymitanum, at non abſque ratione. Nam

III. Implorabant ubique Judæi per orbem diſperſi iique in regionibus quamplurimis numero infiniti, ut propriis legibus viverent regerenturque, & quidem non niſi iſtis legibus voluerunt vivere. At quiſnam Princeps hoc concederet, ignorans omnino quænam forent iſtæ leges? Viderunt, mores & ritus eorum eſſe univerſis gentibus contrarios, videndum eſt annon etiam tranquillitati regnorun ſuorum ſint contrarii. Ipſa iſta ſuſpicio non potuit non verſionem legum iſtarum in linguam vulgarem requirere, & extorquere etiam à nolentibus. Non potuit ergo Synedriũ magnũ ſaniùs ſapientiuſq; ſaluti & incolumitati &religioni totius gentis conſulere, quãlibros ſuos ſacros vertẽdo in linguã Græcã, ut ſcirent omnes quidnam eſſet quod profiterẽtur. Non videre non potuerunt, eos, ipſis etiam invitis, vulgari linguâ tandẽ prodituros, nec prohiberi poſſe quin manibus Ethnicorum ubiq; tererentur. Satius longè ergo eſſe, ut ſua cura, & authoritate prodeat verſio, quæ ſit ſecundum placita ſua, quam ut hic illic prodeat hæc & illa, quæ forſan in opprobrium cederet textui ſacro, aut in periculum aut ignominiam genti, aut nimis propalaret myſteria ſacra inter Ethnicos. Hiſce authoribus, atque hiſce rationibus, ut ingenuè fatear, credo ego exaratam fuiſſe verſionem iſtam quæ circumvagatur ſub nomine lxx: Nec deſunt in ipſa verſione quæ tale conſilium in ejus, editione innuunt. Nam

IV. Oculo vel lippienti conſpicuum ſatis eſſe poteſt, elaboratam & adornatam eam fuiſſe majori cum cautela, quam conſcientia, aſtutè potius, quam ſincerè. 1. Ut quantum fieri potuit, codices ſacri abſque opprobrio forent, & cavillatione Ethnicorum. 2. Ut emollirentur quædam quæ genti Judaicæ poſſent officere vel quoad pacem, vel quoad famam ſuam, quæ-

ve

ve offenſionem poterant parere Gentilibus. 3. Ut myſteria & nuda veritas librorum ſacrorum quam minimè, quoad fieri poterat, patefierent Ethnicis. Quæ omnia tam innumeris exemplis demonſtrari poſſent, ut nullam dubitandi auſam eâ de re poſt ſe relinquant.

His & hujuſmodi cautionibus & aſtutiis exarata eſt iſta verſio. In qua minus curæ erat vertentibus, ut prodiret interpretatio ſincera & germana, ſed proviſum præcipuè, ut Gentilibus quidvis obtruderetur modo abſque periculo & Judaicæ genti conſuleretur de ejus gloria & incolumitate. Et liceat bona cum venia quid ex animo ſentiam eloqui. Inter varia exemplaria, & editiones verſionis hujus quæ circumferuntur, ego iſtud exemplar non æſtimo pro maximè genuino quod proximè accedit ad textum Hebræum, ſed quod proxime accedit ad mentem vertentium in hujuſmodi cautionibus.

Dicitur ut vidimus ante, quod cum quinque Presbyteri vertiſſent legem, *Acerbus fuit iſte dies Iſraeli, ſicut dies quo conflatus eſt vitulus aureus.* Et quare? *Quia lex non potuit verti ſecundum omnia ei convenientia.* Num hinc dolor, quod non verteretur nec verti potuerit, clarè & exactè & dilucidè ſatis, ut Ethnici plenam & apertam lucem ejus viderent? Quis hoc crediderit in optione & votis fuiſſe unquam Judæorum? Aſt inde mœror potius, ne non callidè ſatis & cautè, & aſtute vertiſſent iſti quinque, prout agendum erat cum gentilibus.

De ea re proviſum eſt ſatis in hac verſione, omnes nervos ſuos intendentibus authoribus, & ingenia, ut pro placitis ſuis prodiret talis, qualem voluerunt, & propoſito ſuo inſerviret & quoad ſeipſos & quoad gentes. Hanc ſanxerunt & authoritate ſua roborarunt, non ut verſionem puram & commendandam ſuis, ſed ut idoneam ſatis ad obturanda ora & ſatisfaciendum curioſitati Ethnicorum: & ne quis ſuorum aliam moliretur, in qua cautiones & proviſa iſta non ſatis obſervarentur.

Hanc repoſuerunt in Synedriis & Synagogis ſuis, ut in promptu

ptu esset, & ostenderetur Ethnicis, ut Symbolum & tessera, legis, fidei, & religionis Judaicæ, si quando res & necessitas tale quid efflagitaret.

Concedimus ergo *Justino Martyri*, versionem istam fuisse in Synagogis & manibus Judæorum, at non ex eo concluseris quod lecta fuerit in Synagoga vice textus Hebræi. Concedemus etiam *Tertulliano* versionem istam lectam fuisse *Romæ* ætate sua in Synagogis Judæorum: sed cogente istâ suspicione de qua diximus, nempe ut omnibus innotesceret qualisnam foret Judæorum lex & religio, an consisteret cum regimine Romano: Quæstio nostra est an *Hellenistæ* sibi *eligerent* lectionem Græcæ versionis, neglecto textu Hebræo; & cùm ut plurimum viverent illi legibus & institutis suis, vix uspiam ostenderis, præsertim temporibus Apostolorum, de quibus nos loquimur, vel antecedentibus, coactos eos fuisse illum rejicere, atque istam legere.

Et quod de *Philone* & *Josepho* objicitur, nihil mirum est, si illi pro Ethnicis scribentes, versionem istam sequerentur, quæ ex instituto exarata fuit pro Ethnicis.

At maximi ponderis est illud quod objicitur, de Evangelistis & Apostolis, versionem istam amplectentibus, in allegationibus suis ex veteri Testamento. Ad quod facillima est responsio. Nempe cum duplici hominum genere rem fuisse scriptoribus istis sacris, cum Judæis & Gentilibus, utrorumque manibus terebatur volumen N. Test. Examinare cupit Gentilis allegationes, quæ adducuntur ex Test. veteri. Aſt Hebraica non callens, quonam ei refugiendũ est, nisi ad Græcam versionem quam intelligit? Ita ut non tantum ἐν συγκαταβάσει foret, quod scriptores illi sacri versionem Græcam sequerentur, sed ex pura necessitate, nam aliter impossibile erat, ut allegationes eorum ex lege & Prophetis à Gentilibus examinarentur: Et si Judæus in manu habens novum Test. queratur & cavilletur, quod receditur in allegationibus à textu Hebræo, in promptu adest

adeſt quod reſpondeatur; Hæc ipſa verſio quæ citatur, ipſiſſima veſtra eſt, quam vos exaraſtis edidiſtis & mundo propoſuiſtis ut Symbolum & teſſeram legis & religionis veſtræ, ut ipſiſſima Biblia veſtra.

Si ex inſtituto plenariam diſquiſitionem de iſta verſione aggrederemur, poſſent forſan omnia hæc quæ dicta ſunt variis inſtantiis, rationibus modiſque fuſiùs demonſtrari. Sed hæc ſufficiant impræſentiarum. Excitata eſt hæc diſſertatio ex mentione linguæ ignotæ, *cap.* 14. quam nos ſupponimus fuiſſe Hebræam: adhibitam anteà in Synagoga iſta Helleniſtica Corinthiorum, & quam retinere illi voluerunt, ad Evangelium jam converſi: donum linguarum eo modo quo alia etiam privilegia & inſtituta Evangelii ad Judaiſmum nimis detorquentes: & eo magis lingua ignota utentes, quòd cœlitus conceſſum foret linguarum donum in finem dono ipſi planè contrarium, illud infœliciter pervertentes & non requirentes, non admittentes jam interpretem [quod ante ab iis factum] ac ſi arbitrarentur dediſſe Deum linguas ignotas ut ignotæ forent omnibus præter eos quibus eæ datæ.

In his quæ dixi de verſione Græca, atq; ejus non-lectione inter Helleniſtas, contra-ſentientes novi me habere viros doctiſſimos, & olim quidem ipſe fui in contrariâ ſententiâ. Unde faciliùs ut ſpero perſuadebitur lectori me non hæc ex ſtudio contentionis dixiſſe, ſed ex quanta quanta poſſum ſeria rei diſquiſitione, cogitationibus ſæpius iteratis, atque intimo deſiderio inveſtigandæ veritatis.

FINIS.